Disquisitiones

de

analogiae Graecae capitibus minus cognitis

scripsit

Fridericus Thiersch.

Pars tertia.

Abh. d. I Cl. d. k. Ak. d. Wiss. VIII. Bd. I. Abth.

Argumentum hujus dissertationis.

Disquisitiones

de

analogiae Graecae capitibus minus cognitis

scripsit

Fridericus Thiersch.

I.

De prosapia nominum et verborum, quae e radice ΦΑ deducuntur.

A. *Praefectio.*

Disquisitionibus, quae in praegressis hujus dissertationis partibus de vocibus e χείρ et νίπτω compositis, de particulis disjunctivis et asseverativis et de nominibus ὁ λῖνος et τὸ λίνον egerunt, addere hac tertia parte placuit alias ac primam quidem de vocibus quae e radice ΦΑ progerminant.

B. *De nomine φάος et verbo φῶ.*

Nomen simplex inde formatum τὸ φάος est et verbum φάω, cujus apud Homerum una forma φάε reperitur.

Ac φάος quidem sensu certo et immutabili dicitur, forma autem duplici φάος et φόως. Formae simplices et apertae φάος et φάε monstrant radici digamma Aeolicum adhaesisse. Forma nominis aperta φάος apud Hom. servatur, ubi rhythmus aut metrum duas breves requirit. Il. ϑ 487.

ἔδυ φάος, αὐτὰρ Ἀχαιούς, π, 95 ἐπὴν φάος ἐν νήεσσιν Θήῃς. Il. ρ, 615 καὶ τῷ μὲν φάος ἦλθεν, σ, 11 λείψειν φάος ἠελίοιο, v. 102 Πατρόκλῳ γενόμην φάος οὐδ' ἑτάροισιν coll. p. 402, v. 95, φ 538 alia multa in quibus epitheta γλυκερόν, λαμπρόν, ὀξύτατον, περικαλλές accedunt.

In his omnibus contractio φῶς alacri metri decursu prohibetur, quae quidem in Hymn. in Mercur. v. 401 ἐς φῶς ἐξήλαυνε occurrit, sed expulsa a G. Hermanno, qui optimo jure ἐς φάος reposuit. Porro defenditur forma aperta, ubi jambo opus Il. ρ 647 ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον, quia φῶς, si quidem in epicis occurreret, formam dat. φωτί habitura esset de quo infra agendum. Praeter φάος et φάει apud Hom. occurrit φάεα καλὰ de oculis dictum Od. α, 15 falsa tamen opinio, in hoc primam produci. Est enim tribrachys et prima ictus vi locum longae occupat. Post Homerum φαέων adhibuit Agath. Epigr. 69 et φαέεσσι Moschus in Megar. v. 19 τὸν μὲν ἐγὼ τίεσκον ἴσον φαέεσσι, uterque eodem quo Homerus sensu. Eandem indolem servant omnes formae ex φάω deductae, ut φαείνω, φαέθων, φαεσίμβροτος alia, de quibus deinceps dicetur. Mirum igitur quod juxta hanc priscam analogiae speciem φόως et φόωσδε apud Homerum frequentantur neque analogiae neque rhythmi lege aliqua defensa. Sed de hoc accuratius videndum est.

Ac primum quidem analogia obstat, qua formae, quae post contractionem vocalem repetunt et contractae longae praeponunt, rhythmo aut dactylico debentur, ut εὐχετόωντο, αἰτιόωνται (Od. α, 32) aut spondeo ut ἡβώωνται. Eadem analogia obtinet in ὁρᾷς, βοάᾳ, αἰτιάασθαι, ἑδριάασθαι, ὁρόων, ὁρόωντε, μνώοντες. Inde sequitur, φόως et φόωσδε, id est formas ejus generis, quae non nisi verbis competunt, in nomina non potuisse immitti nisi simili necessitate procusae, quae hic nulla est. Eas tamen post reliquos grammaticos tam veteres quam novos. Franciscus Spitznerus de versu Graecorum Heroico §. 4 p. 22 admittit, addita sententia harum quae potior sit, solo aurium judicio et

versuum concinnitate dirimi posse. Quod de aurium judicio dicit, nihili est, et si quid esset quidni jucundior sonaret utriusque vocalis *α ο* conjunctio quam ejusdem soni repetitio? Non melioris commatis est altera ejus judicii pars, quae versus concinnitatem atque rhythmum spectat. Sane plerumque *φόως* legitur, ubi rhythmus alteram syllabam longam aut requirit aut requirere visus est. Posterioris generis Il. β, 44 *Ζηνὶ φόως ἐρέουσα*, ψ 226 *εἶσι φόως ἐρέων*, Od. ζ 62 *πολλὰ φόως ἔμεν*. Il. ο, 741 *τῷ ἐν χερσὶ φόως, οὐ μειλιχίῃ πολέμοιο*, alterius Il. ζ, 6 *φάλαγγα, φόως δ' ἑτάροισιν ἔθηκεν*, Θ. 282 *αἴκέν τι φόως Δαναοῖσι γένηαι*, coll. Λ 2. 796. π. 39, ο, 669 *μάλα δή σφι φόως γένετ'*. Od. ε, 2, *ἵν' ἀθανάτοισι φόως φέροι*, ψ 348 οι *φόωςδε*. Il. β, 309 *ἧκε φόωςδε* π, 388 *ἐξάγαγε πρὸ φόωςδε*, Od. λ 223 *ἀλλὰ φόωςδε*, μ 103 *ἄνδρα φόωςδε* χ, 226 *ἐκ δ' ἄγαγε πρὸ φόωςδε*.

Supersunt quidem loci aliquot, qui *φόως* admittunt et *φάος* habent ut Od. τ, 719 *αὐτὰρ ἐγὼ τούτοισι φάος πάντεσσι παρέξω*; ib. τ, 34 *φάος περικαλλὲς ἐποίει*. Hos Spitznerus dicit, si ad multitudinem contrariorum attenderis, exigui momenti habenda esse eoque ad normam reliquorum redigendos, quam in altero loco Cod. Harlejamus *φόως* suppeditans sequitur. Addi potest eandem ex hoc loco commemorari a Schol. Ven. B ad Il. β, 565. At vero non obliteranda priscae formae vestigia, sed ipsi formae *φόως* lis ut fecimus intendenda erat, quae vel tum, cum ab analogiae legibus ad solum metrum refugias, prorsus inutilis est. Metrum enim admisso *φάος* in locos, qui alteram longam requirunt sanum est et sine ulla offensione decurrit.

Alterius clasis locis, qui post *φάος* brevem habent, non magis erat timendum. Nam in his si vox aperta ponitur, *Ζηνὶ φάος ἐρέων*, — *εἶσι φάος ἐρέουσα* — *πολλὰ φάος ἔμεν* rhythmus nihil detrimenti capit; qui brevem ictu notatam pro longa, admittit cf. nos in Gramm. maj. §. 147 n. 8, 9. Quod superest, *τῷ ἐν χερσὶ φάος, οὐ μει-*

λιχίη id ἐκ παραλλήλου habet Od. ζ 105 τῇ δὲ δ' ἅμα Νύμφαι et reliqua, quae ibi n. 8, b notavimus. Male igitur seduli erant grammatici, siquidem procudentes formam contrariam sincerae et extra necessitatem prognatam rhythmo succurrere studerent, non his medicis egenti. Quis formam φόως in locos, qui longa indigere videbantur, immiserit et quis eandem in locos, qui longa prorsus non indigebant, propagaverit, ut φάος illis tantum vesibus relinqueretur, quorum rhythmi alacritas duplicem brevem requirebat et contractam formam φῶς arcebat, aeque nos latet. Videtur tamen Aristarchus fuisse magnus sane grammaticus et acerrimus formarum Homericarum indagator, sed qui in regulis constituendis non raro nimium fuit curiosus; certe Alexandrinorum aevo usus jam receptus fuit, quippe quem Apollonius Rhodius ejus scholae sectator jam secutus est, dum II, 441 ἤδη δὲ φόως νιφόεντος ὕπερθεν Καυκάσου et ὀφθαλμοῖσι φόως πύροι III, 1223 ex eadem regula metro non flagitante sed tantum permittente contracta forma usus fuit et testatur Schol. Venet. *A* ad Il. β, 565 dum monet ex φάος φόως contractum esse et ad Il. ε, 6, Od. η, τ, 54 provocat. Id Scholium ad Didymum videtur spectare cujus excerpta ex Aristarchi διορθώσει ille codex continet. Ab Hesiodo ista contractio aliena est, quippe qui φάος non solum eodem in rhythmo, quo φάος Homero reliquerunt, usus est *E*, 154 ἔλιπον φάος ἠελίοιο; *E*, 338 ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ; Θ, 656 ἀνήγαγον εἰς φάος αὖτις, v. 652 ἐς φάος ἄψ ἀφίκεσθε sed etiam ubi longae syllabae ex usu Homerico suspecto locus esset, Θ, 451 ἴδοντο φάος πολυδέρκεος Ἠοῦς, v. 755. ἐπιχθονίοισι φάος πολυδερκὲς ἔχουσι. Hesiodi enim carmina nimiam illam Aristarchorum sedulitatem non aeque ac Homerica experta sunt. Eadem usus constantia est ap. Theognidem v. 567. ἐρατὸν φάος ἠελίοιο, v. 712. ἐς φάος ἠελίου, v. 1139. ὁρᾷ φάος ἠελίοιο, Archiloch. VI. ἀποκρύψας φάος Ἡλίου λάμποντος, Simonid. CCCXXXI. v. 19. λείπουσιν ἡλίου φάος, nec non apud Pindarum, qui sedecim locis φάος vel φάει adhibet, nullibi formam contractam. Primum apud Tragicos si non φόως, tamen simplex contractio φῶς emer-

git, qui juxta formas *φάος* et *φάει* tam in melicis quam in diverbiis usu satis crebro *φῶς* adhibent, nulla flectendi facultate, unde factum, ut si Genit. vel Dativo opus sit *τ* in auxilium vocent et *φωτός*, *φωτί* faciant. Ab hoc, ut *ὁ φώς*, *τοῦ φωτός* vir distinguatur, gravi sono id notant, praeeuntibus Alexandrinis, ut Schol. Ven. supra allatus monstrat. Ejus *τονώσεως* rationem Etym. M. v. *φῶς* explicat sed immixtis multis erroribus, quos notare lubet. *Φὼς δὲ ἀρσενικὸν ὁ ἄνθρωπος παρὰ τὸ φῶ τὸ λέγω* … *φῶς δὲ οὐδετέρως τὸ φωτίζον καὶ λάμπον· ὃ καὶ κατὰ πλεονασμὸν τοῦ ō λέγεται φόως. Γίνεται* (add. *δὲ*) *παρὰ τὸ φῶ τὸ φαίνω καὶ λάμπω φάος, καὶ καθ' ὑπέρθεσιν φόας καὶ κατὰ συναίρεσιν φῶς. Κλίνεται δὲ διὰ τοῦ ΤΟΣ ἐπεὶ καὶ τὸ φόας φόατος κλίνεται· τὰ γὰρ συνῃρημένα τῶν ἐντελῶν φυλάσσει τὴν κλίσιν, οἱ δὲ λέγοντες* (adde *ὅτι*) *ἀπὸ τοῦ φάος γέγονε κατὰ κρᾶσιν, οὐκ ἀκριβῶς λέγουσι τὸ γὰρ φάος εἰς ΟΥΣ ἔχει τὴν γενικήν.* Ac primum dum *ὁ φὼς*, *τοῦ φωτός* a *φῶ λέγω* deducit, prorsus arbitrario modo agit. Non enim exstat *φῶ* pro *φημί* neque reliquae literae explicationem haberent. Alterum *τὸ φῶς* dum a *φῶ φαίνω* deducit, habebat sane formam cascae antiquitatis *φῶ φαίνω*, quam nominis radicem poneret, sed absurdum est transpositionem vocalium statuere, quae nulla neque est neque esse potest, ut *τὸ φόας* efficiatur, neque si esse posset, ex nominativo *τὸ φῶς* genitivum *τοῦ φωτός* efficeret. Non improbabile autem est *ὁ φώς* et *τὸ φῶς* ex eadem radice *ΦΑ* progerminasse. Nam illud *ὁ φώς* notionem conspicui, ut in *ἰσόθεος φώς*, *φώς ἐπειμένος ἀλκήν*, *καλός*, *μέγας*, *νήμων* continet, quamvis usu tritum in significationem generalem *ἀνδρός* abierit, ut latinorum *vir*, quod ejusdem ac *vis*, *virtus* originis est. Inde explicari potest, quomodo factum sit, ut cum *τὸ φάος* sequiore aevo in *τὸ φῶς* contraheretur, hoc ipsum eodem quo priscum illud *ὁ φῶς* ad genitivum et dativum formandum *τ* adscisceret, ita quidem ut *τοῦ φωτὸς* et *τῷ φωτί* num ad lucem, an ad virum pertineant, e nexu solo discerni possit. Radicale istud *τ* non est, sed ad syllabas finales a radicalibus (*φω-ός φω-ί*) disjungendas adhibetur. Factum hoc idem in *χρώς*,

χρωτός, ἱδρώς ἱδρῶτος, ἔρως ἔρωτος, ἀνύω ἀνύτω aliis. Ceterum *τὸ φῶς* in composita transiit *ἄφως* sine lumine, *λειψίφως, πλησίφως* al. cf. Lobeck. U. p. 322 et in multis compositis priorem locum occupat *φωτοδότης, φωτοφόρος, φωτοφανής,* aliis, inde *φωτίζω* cum compositis, *φώτισμα, φωτισμός* reliqua.

Jam ut ad verbum e radice *ΦΑ* nulla ejus mutatione ortum transeamus, agitata est quaestio a veteribus grammaticis et recentioribus ut ab Henrico Stephano, *φάος* e *φῶ* an *φῶ* ex *φάος* prodierit, nullo prorsus successu. Sequebantur enim priscam analogiae normam nunc quidem ut spero derelictam, datis pluribus ejusdem radicis vocabulis necessario aliam ex alia deducendam. Nihil autem obstat, quominus utramque vocem, pront usus et ratio postularet, ex ipsa radice prognatam statuamus.

Verbi ipsius sola forma *φάω* Od. ξ, 502 *φάε δὲ χρυσόθρονος ἠώς* servata est, unde Aratus, qui instar reliquorum Alexandrinorum priscas formas captare et ultra modum extendere solet, *φάουσαι* finxit Phaen. 607 *χηλαὶ καὶ λεπτὰ φάουσαι.*

Ex eadem radice composita *ἀμφαδόν,* (i. e. *ἀναφαδόν*), *ἀμφάδιος, ἀμφιφαής, ἀρτιφαής, πασιφαής* et *πασιφάεσσι, πλησιφαής* nempe *ἡμέρα* vel *σελήνη* de plenilunio, alia descendunt. Dubitatur de *ἀμφαής*. Praebet hoc Hesych. (Codex Hagenii *ἀμφανής*) addita explicatione prorsus corrupta *πρόςκολος, περιςκελής, οἰκοπερίσκεπτος.* Postrema emendata habet E. M. *ἀμφαής· οἶκος περίσκεπτος.* Prior vox corrig. *πρόςπολος,* qui quidem eodem quo apparitor sensu dicitur et media *περικλεής* scrib. Praeterea huc referunt veteres grammatici *κατηφής* et *oculos dejectos habens* explicant cf. Lobeck. Patholog. c. 1 §. 2 p. 221, qui de syncope dum agit, affert ex Etym. Gud. *ἀπὸ τοῦ φάος καταφαής καὶ τροπῇ τοῦ α εἰς η καὶ συγκοπῇ κατηφὴς ὁ κάτω ἔχων τὰ φάη;* Adde Appoll. Lex. *H* v. *κατηφείη* ... *καὶ ἔσται κατὰ τὸ ἔτυμον καὶ τωπίη*

ἀπὸ τοῦ κάτω τοὺς ὦπας ἔχειν τοὺς ἐπί τισιν αἰσχροῖς κατηφεῖς γινομένους.

Homerus adjectivi formam uno habet loco Od. *ω*, 432 *κατηφέες ἐσσόμεθ' αἰεί*, substantivi Il. *γ*, 51 *π*, 498, *ρ*, 530, pluralem Maximus 83 *κατηφείῃσιν ἔχοντο·* sed hunc Schneiderus jure sustulit scr. *κατηφείῃ συνέχοντο*, verbi Od. *π*, 342. Adjectivo alter locus patet Il. *ω*, 253 *κακὰ τέκνα κατηφόνες*, quae Aristarchea lectio est sensu nullo cf. Heyne ad illum locum, in quo Crates *κατηφέες* legebat optimo ut videtur jure. Eadem quidem praepositionum et adverbiorum origo est et si statuas juxta *κάτω* exstitisse *κάται* et *κάτη*, possis credere has terminationes praepositioni adhaesisse, sed praestat $\bar{\eta}$ injectum statuere, ut in *ὑπερήφανος*. Denique *κατηφία* afferunt grammatici et ex eo *κατηφιᾶν* deducunt, sed hoc ipsum ex *κατήφεια* ortum, ut sit *κατηφειᾶν* eliso $\bar{\iota}$. Nam *κατηφία* tam parum dici potest quam *ἀληθία*. Sed posterioris syllabae etymologia non procedit, nisi $\tilde{\alpha}$ i. e. vocalis principalis nescio qua necessitate extrita fuerit, ut ex *φαής φής* fieret. Potius statuendum cum *φάω* exstitisse *φέω* ut *κέω* juxta *κάω* habetur, unde *κατηφεής* et *κατηφῆς* eodem modo fieret quo ex *κλέω περικλέης, περικλῆς*. Haec tamen lubrica et veterum grammaticorum arti arbitrariae relinquenda, ad quam pertinet hoc quoque, quod Etym. M. v. *κελαινεφής* auctore Herodiano hanc vocem ex *κελαινός* et *φῶ* ortum putat eoque ex *κελαινοφαής* contractum et immutatum facit.

Adsumto ad formas efficiendas *Σ* oriuntur ($\overline{\varphi\alpha\varepsilon}$) *φαεσίμβροτος, φαεςφόρος* et *φωςφόρος*, porro ad significationem lucendi augendam *φαέθω*, ut *φλέγω φλεγέθω* v a l d e *uro*. Non tamen nisi forma participii occurrit Il. *λ*. 735 *ἠέλιος φαέθων* coll. Od. *ε*, 479, *λ*, 16, *τ*, 441, *χ*, 388. Eodem nomine Jovis et Veneris stella dicitur; translatum idem ad alterum Aurorae equum Od. *ψ*. 246 *Λάμπον καὶ Φαέθονθ', οἵ τ' ἠῶ πῶλοι ἄγουσιν* et Nympharum alteram, quae solis boves custodiebant

Od. μ 132 Φαέθουσά τε Λαμπετίητε, ab Hesiodo ad Aurorae filium. Theog. 987 ἴφθιμον Φαέθοντα, et apud posteriores ad ipsius Solis filium. Seorsim ab his habendum φαέθοντα Soph. Ajax v. 911. τοιά μοι πάννυχα καὶ φαέθοντ' ἀνεστέναζες ὠμόφρων ἐχθοδόπ' Ἀτρείδαις, lectione ut mihi quidem videtur, nequaquam suspecta. Nam oppositum πάννυχα evincit adverbialiter dictum esse *noctu atque interdiu*, νυκτὸς καὶ ἡμέρας ut Schol. explicat. — Succedunt vocabula, quae adsumunt εν, ειν. φαείνω, φαεννός, φαεινός, φαίνω. Statuunt nimirum φαίνω ex φαείνω contractum esse, sed quae contractio haec esset, quae ε ejiceret et α breve relinqueret? Origo harum formarum haud dubie ex radice cum digamma aeolico adsumto ε et ν formativo oriuntur (φαϝενω, φαένω, φαέννω) unde formae contractae ὁ φᾶνος Jovis cognomen (φαεινός) et φανός adjectivum, quod male ad φαίνω referunt, φανότερος non φανώτερος et ὁ φανος λαμπάς, unde Φᾶνος nomen proprium nec non φανόω et φανότης oriuntur. — Παιφάσσω duplici modo radicem ΦΑ auget, adsumto σσ in fine ut τινάσσω, ταράσσω et reduplicatione (φα φαι) παιφάσσω ut fit in μα μαιμάω, unde μαιμῶσι, μαιμωῶσι, quae compositionis ratio indicat, summam luminis et splendoris efficaciam exprimi, ut est in exsplendescere, effulgere, ita ut oculi abstringantur. Male igitur formant grammatici, qui ad etymon τὰ φάη αΐσσω confugiunt aut explicant ὁρμῶ, ἐνθουσιῶ. Sincero sensu dictum de Minerva aegide induta Il. β 450 σὺν τῇ παιφάσσουσα διέσσυτο λαὸν Ἀχαιῶν et Apoll. Rhod. III, 1265 φαίης . . . στεροπὴν μέγα παιφάσσουσαν Ἐκ νεφέων. Inde tamen ad violentos motus tam corporis quam animi transfertur et est *prosilire* Il. ε 803 πολεμίζειν οὐκ εἴασκεν Οὐδ' ἐκπαιφάσσειν. — Hesych. παραμφάσσει τινάσσει, πηδᾷ, παρακινεῖ καὶ τὰ ὅμοια. Sed scribendum ibi παρπαιφάσσει. Non enim ut factum est a Ruhnkenio per παραιθύσσειν defendi potest, quod ab αἴθω descendit et in αἰθίσσειν augetur.

Longius a radice ΦΑ aberrant φαιδρός, φαίδιμος, quibus Δ additur, quia φαιρος, φαι-ιμος non recto pede procedunt.

Superest ut de formis moneamus, quae tam ad *φάω*, quam ad *φημί* revocatae sunt a Grammaticis. Ac Passovius quidem in L. Gr. v. *πρόφασις* culpat Schneiderum, qui id a *φημί* deduxerit, et iis, qui Lexicon ejus exscriberent, occasionem dederit, hunc errorem temerarie propagandi. At vero tam simplex vocabulum *φάσις*, quam composita, *πρόφασις* non minus quam *παράφασις, παραίφασις, πάρφασις* et *παρφασία*, *προφασίζεσθαι* ad *φάναι* pertinet, quod formis *παρφάμενος*, *παραφάσθαι* aperto demonstratur.

Non alius generis sunt *πρόφατος*, *ἀπρόφατος* coll. *προφασίζω*, *ἀπροφάσιςος*, quae vel Apoll. Rhodius, dum I, 645 *Ἀχέροντος Δίνας ἀπροφάτους* dicit, non ad *φημί* videtur retulisse, sed ad *φαίνω*, item *Π*, 267 *ἀστεροπαὶ ὡς Ἀπροφάτως Νεφέων ἐξ ἅλμεναι.* Sed is „*non praedictum*“ sensu latiore pro *inopinatum* adhibuit. Idem dicendum de *προφήτης*, *προφῆτις*, *προφητεύω* al. quae cum *φημί* cohaerere, tam longa vocalis, quam analogia verbi latini *fari profatus* docet. Nam alterius etymi vocabula $\bar{\alpha}$ radicale non producunt, sed sonum longum retento digamma aeolico habent ut (*φαϝσις*) *φαῦσις*, *φαύσκω*, *πιφαύσκω*.

Postremum, quod posuimus, verbum *φαίνω* e *φάϝνω* ortum creberrimae vocabulorum copiae originem dedit, quae quia nullam fere analogiae difficultatem habent, hic breviter tantum attingamus. Quam ubertatem adjectivorum ex *φάω* compositorum notavimus, eadem etiam ex *φαίνω* nascitur, ut *ἀφανής*, *διαφανής*, *περιφανής*, *ὑπερφανής* cum substantivis *ἀφάνεια*, *διαφάνεια* al. et duplici *η* *ὑπερήφανής* et *ὑπερήφανος* cum derivatis.

Alia e verbali $\overline{\textit{φαντός}}$ prodeunt, quod tamen non magis quam $\overline{\textit{φανής}}$ forma simplici sed tantum composita occurrit ut *ἄφαντος* juxta *ἀφανής*, *περίφαντος*, *ἔκφαντος*, *προφανής* et *πρόφαντος*, *συκοφάντης* et ex se nova vocabula gignunt *φαντάζειν*, *φάντασμα*, *φαντασία*, *φανταστός*, *φανταστικός*, *φαντασιάζω*, *φαντασιαστικός*, *φαντασιῶσαι* in imaginibus

versari, εὐφαντασίωτος quem jucundae imagines delectant, φαντασιώδης. Longius ab etymo recedit ἀκραίφνης coarctatum ex ἀκεραιοφανής cf. Lobek l. l. p. 121 ἄφνω ex ἀφανῶς et ἐξαίφνής atque αἰφνίδιος. De illo dubitatur num ab ἐξ ἀφανείας an ab ἐξαπίνης originem habeat cf. Lobek l. l. 722. Hodierna Graecorum lingua ἔξαφνα habet, quam formam cascam et genuinam puto, ex qua nullo alio interposito vocabulo ἐξ-αιίφνης prodierit: Praeter vocabula, quae lucis significationem habent, ex *ΦΑ* ea quoque prodiisse monuimus, quibus *fandi* notio continetur, neque id mirum, quum ubique notiones *lucendi* et *fandi* arctissime cohaereant et ipsum φαίνω non ad res tantum, quae oculis conspiciuntur, sed ad eas quoque pertineat, quibus aperiendis vox et verba inserviunt, ut Od. ο 499 ὁ δ' ὁρμηθεὶς θεοῦ ἤρχετο φαῖνε δ' ἀοιδήν. Pertinet huc προφήτης, quod supra jam notavimus.

C. De verbo Φημί et derivatis.

Vdimus in vocabulis, quae ad φάος pertinent, syllabam brevem ubique servari, et si longa hic illic emergat, eam retento digamma, ut in φαῦσις, aut contractis $\overline{αε}$ adduci. Non eadem est ratio vocabulorum, quae ex eadem radice *fandi* notione ducuntur. Hae enim tam brevem quam longam vocalem referunt. Longam monstrant latina *fari, effari, fatur*, quibus docemur, φητόν $\bar{φ}$ατόν extitisse, unde effatum i. e. ἔκφατον, item προφήτης, ὑποφήτης, quibus formae longae verbi φημί accedunt. Minor tamen longarum hujus formarum numerus, quam exspectes. Nam juxta φημί, φής, φησί et ἔφην, ἔφησθα et ἔφη, major numerus brevium syllabarum apparet in φαμέν, φατέ ἔφαμεν, ἔφασαν, ἔφαν, φάν, imp. φαθί, quod Buttmannus (Gr. gr. maj. p. 565) seu potius φάθι quod Lobeckius ad Phrynichum p. 60 probat, φάναι (non φᾶναι, quod φῆναι est et ad ἔφηνα pertinet) porro aucto ambitu imperf. ἔφασκε, φάσκε, φάσκ', φάσχ', nec non formae mediae quae omnes φάθω, φάσθαι, φάμενος, ἔφαντο et pass. Il. ξ 127 πεφασμένον brevem vocalem servant. Eadem formae diversitas in derivatis obtinet φήμη (fama), ἄφημος, ἀπόφημος,

ἀφήμων, ἀφημία, βλάσφημος, βλασφημία, βλασφημέω, δύσφημος, εὔφημος, εὐφημία et alia plurima. Pertinet huc *ἄμφαμος, ἀμφαμία*; alia in glossis, de quibus postea, *φῆμις, φημίζω, φημιάζω*. His e regione sunt breves illae *φάσις, ἀπόφασις*, juxta *ἀπόφησις* i. e. *ἀποφασιτική συγνώμη, ἀφασία, διφασία, τριφασία, πολυφασία* Hesych. *ἀλλόφασις. θόρυβος ταραχώδης* et Etym. M. *ἀλλοφάσσειν. θορυβεῖσθαι, ἀλλαχοῦ τὰ φάη περιφέρειν.* Item *φατέω*, quo ducunt (*φατεος*) *φατειός* Hes. Θ 304 *ἔτικτεν ἀμήχατον οὔτι φατειὸν Κέρβερον.* Non enim nisi ex *φατητός* deduci hoc potest, qua extrito *τ* molliorem speciem induit.

D. De tertio vocabulorum e ΦΑ deductorum genere.

Praeter duplex vocabulorum genus quae ex *ΦΑ lucendi* et *fandi* significatione deduximus, tertium apparet, cujus radix eundem prorsus sonum refert, sed significationem oppositam *abscondendi, interimendi, occidendi*. Si *φόνος, ἔπεφνον*, contuleris quod ex *ἐπέφενον* contractum est thema simplex *φένω* fuisse manifestum est, ex quo *φόνος* eodem modo, quo *λόγος* ex *λέγω* prodiit. Contra formae homericae *πέφαται* Il. ϱ 164 occisus est coll. Il. χ 54, *πέφανται* occisi Il. ε, 531, ο, 563, *πεφάσθαι* et Il. ν, 829 *πεφήσεαι* occideris coll. Od. υ, 217. nec non *Ἀρηΐφατος*, Hesych. *φατόν, τεθνηκώς· ῥητόν.—φατοὶ τεθνεῶτες, ῥητοί.— ἀλλοφάτοις·* (scr. *ἀλλόφατος*) *ὑπ' ἄλλου πεφατισμένος* (scr. *τινὸς πεφασμένος*), — *Περσέφασσα* cujus sensum altera forma *Περσεφόνη* explicatur, radicem *φα* his quoque nominibus subesse monstrant. Quae autem ratio inter radices *ΦΑ* et *ΦΕΝ* intercedat, ut ex utraque occidendi notio deduci potuerit, difficile dictu est. Conferendo tamen *τὸ φάσγανον* i. e. *σφάγανον* transposito *σ, σφαγή* et *σφάζω*, radix *ΣΦΑΓ* emergit. Ad hanc si formas, quas commemoravimus revoces, radix haec *Σ* abjecit, ut *σμικρός μικρός*, nec non *γ* ut *γαῖα, αἶα*, ut formis illis gignendis apta fieret et *φατός* istud e *σφακτός* extenuatum est.

II.

De forma *εὐφήμιος* et loco Aeschyli, qui huic dissertationi occasionem dedit.

Absolutis reliquis, quae ad radicem *ΦΑ* pertinent, superest ut de forma *εὐφήμιος* agamus, quam loco Aeschyli corrupto adhiberi posse putaverunt.

Exstat is Agam. 1197 seqq.

ἰοὺ, ἰοὺ, ὦ, ὦ κακά
Ὑπ' αὖ με δεινὸς ὀρθομαντείας πόνος
Στροβεῖ ταράσσων φροιμίοις ἐφημίοις.
Ὁρᾶτε τούσδε τοὺς δόμοις ἐφημένους
Νέους, ὀνείρων προσφερεῖς μορφώμασιν,
Παῖδες θανόντες ὥσπερ εἰ πρὸς τῶν φίλων.

Lectio fluxa et corrupta *φροιμίοις ἐφημένοις* Flor., item Ven. teste Imm. Beckero apud God. Herm. sed Ven. *οι* supra *ου* posuit teste Morellio. Item Fa. *οις* supra *ους* posito. Tradita igitur lectio *ἐφημένοις* et *ἐφημένους*. Contra *φροιμίοις ἐφημίοις* * (cum asterisco) Vict. haud dubie ab Henr. Stephano illatum, servatum a Cantero et a Stanlejo, qui asteriscum omisit et *proemiis conturbans infaustis* vertit.

Multae interpretum disputationes, quas vitium ed. Victor *ἐφημίοις* genuit, dum formam analogam *ἐφημίαι* in Hesychio se invenisse crederent aut *εὐφημίοις* scriberent, quod Passovius in l. Gr. f. h. v. pro *εὔφημος* dictum ex hoc Aeschyli loco affert, aut *δυςφημίοις*, quod et Hartungius in notis ad Agam. defensione nulla egere declarat. Alii *εὐφημίοις κατ' ἀντίφρασιν* pro *δυςφημίοις* dictum putant; eodem Hesychio auctore *εὐφημοῦσι, στένουσι, κωλύουσι* (legendum *κωκύουσι*) *κατὰ ἀντίφρασιν*. — *εὐφήμοις· γόοις. δυςφήμοις κατὰ ἀντίφρασιν. Αἰσχύλος Γλαύκῳ Ποτνιεῖ.* — In hoc fere orbe Stanleji, Abreschii et reliquorum notamina versantur. Ac is quidem ad Soph. Electr. 630 provocat, ubi

tamen ὑπ' εὐφήμου βοῆς θῦσαι est sacrificare, dum *faustae precationes* fiunt, et genit. temp. cum praep. ὑπό obtinet. Eodem sensu Agam. v. 1220: εὔφημον, ὦ τάλαινα, κοίμησον στόμα, est: *„lingua fave, dum siles"*. Sed de singulis accuratius agendum. Homerica dictio, ex qua recentior pendet, ex hac stirpe habet φήμη et φῆμις, unde nom. propr. Φήμιος, porro εὐφημῆσαι Il. ι, 171, et nom. propr. Εὔφημος, Il. β 846 atque εὐφήμως in Hymnis, de quo deinceps, *Hesiodus E. κ. H.* 353 δυςφήμοιο τάφου, et a φῆμις derivatum φημίζω E. κ. H. 2, 382: φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα λαοὶ Πολλοὶ φημίζουσι (scrib. φημίζωσι). His jam glossatorum notamina addenda, quae ad hanc quaestionem pertinent. Hesychius: Εὐφάμιος. Ζεύς. — Εφάμιος. Ζεύς. — Εὔφημος· ὁ Ζεὺς ἐν Λέσβῳ, qui quidem si in Lesbo i. e. apud Aeolenses erat, saltem εὔφαμος dici debebat. Sed idem deus non potest et εὐφάμιος et εὔφαμος dictus esse. Εὐφήμιος enim est qui *bene ominata* i. e. εὔφημα *tuetur aut fundit*, εὔφημος *qui ipse bene ominatus est*, ἐφάμιος *autem nihili est.* Vix igitur dubium, unam fuisse glossam: εὐφάμιος· ὁ Ζεὺς ἐν Λέσβῳ ὁ εὔφημα φυλάσσων aut simile quid, nunc discerptam et corruptam. Praeterea glossarum apud Hesychium par est, quo Stanlejus innititur, nempe ἐφημίαι· ἀγροὶ καὶ βελτίονα φήμης et ἐφήμως· εὐφήμως. Ac harum quidem corruptelas egregia Kusteri observatio p. 1549 not. 11 aperuit, quamquam lectionis restitutio minus prospere ei cessit. Posterior corrigenda haud dubie ἀφήμως· εὐφήμως. Ipse Hesych. ἀφήμως· ἐν κόσμῳ, ἡσυχῇ p. 641 habet. Nimirum ducta est glossa e lectione corrupta Hymni Homerici in Apoll. v. 171: ὑμεῖς δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθ' εὐφήμως, loco a Thucydide l. III, c. 103 laudato, cujus codices optimos corruptela illa ἀφήμως cum metri vitio occupavit. Alii eam in v. v. ἀφ' ἡμῶν depravarunt. Utramque corruptelam explicat Hesychius. Ἀφ' ἡμέων· ἄποθεν ἡμῶν. — ἀφήμως, ἐν κόσμῳ, ἡσυχῇ, unde corruptelae antiquitas patet. Eadem in gl. ἐφήμως· εὐφήμως transiit. Alterius glossae ἐφημίαι· ἀγροὶ καὶ βελτίονα φήμης

difficilior medicina est, ad quam inveniendam ulterius progredi debemus. Hesych. *ἀφημοῦντας·* (Junt. *ἀφηκοῦντας*) *ἀγροίκους.* — *ἀφημίζεσθαι. ἀθερίζεσθαι.* — *ἀφαμιῶται· οἰκέται, ἄγροικοι, πάροικοι.* — *ἀφημιάστους· ἀγροικίας.* Idem *ἄφημοι· ἀνώνυμοι, ἀκλεεῖς.* — *ἀφήμονες· ἄῤῥητοι, οὐκ ὀνομαζόμενοι.* — His addas e Suida: *ἀπόφημος· δύσφημος*, qui in loco veteris scriptoris, quo ad illustrandam vocem utitur, *ἀπόφημόν τε καὶ βλάσφημον* conjuncta invenit. — E glossis Labei huc pertinent: *διάφημος·* celeber, *διαφημίζω·* differo, divulgo, *διαφημίστης* famigerator, nec non *ἀφημία*, quod in glossa apud Bekk. in Anecd. Gr. Tom. I. p. 468, 30 affertur hac: *ἀφασία· ἀφωνία, ἀφημία τῶν πέντε αἰσθήσεων κ. τ. λ.*, suspecta illa, quod *τῶν πέντε αἰσθήσεων* non habet, quo referantur, nec non propter *ἀφημία*, quae utpote vox rarissima non potuit tanquam familiaris ad explicandum *ἀφασίαν* multo notiorem terminum, adhiberi. Duae glossae junctae et truncatae videntur, quas ita restituam *ἀφασία καὶ ἀφημία· ἀφωνία καὶ ἄφεσις τῶν πέντε αἰσθήσεων.* — Jam haec omnia aperto probant, veterum vocabulorum indagatores invenisse quidem, quae ad voces justas et legitimas *φήμη, φῆμις, ἄφημος, εὔφημος, φημίζω, εὐφημέω* pertineant, nihil vero quod ad analogiam Hesychianarum vocum *ἐφημίαι, ἀφημοῦντες, ἀφημιῶται* et *ἀφημιάστους* spectet. Nec tamen tres posteriores rejiciendae. Subesse enim videntur formae *φημιόω*, ex *φῆμις* deductum, ut *θηριόω* a *θῆρις*, porro *φημιάζω*, quod frequentativum esse potuit v. *φημίζω*. Hinc patet, quid in glossis corrigendum sit. *Ἀφημιοῦντες* (scr. *ἀφημιοῦντας*) *ἀγροίκους.* Contra bene se habet *ἀφημιάστους· ἀγροικίας* (scr. *ἀγροίκους, οἰκέτας*) ab *ἀφημιάζω*, item *ἀφαμιῶται· οἰκέται, ἄγροικοι, πάροικοι* ab *ἀφαμιόω*. Jam apertum est, quo pertineat glossa corrupta *ἐφημίαι· ἀγροὶ καὶ βελτίονα φήμης.* Haud cunctanter scribam *ἀφημιάστην ἄγροικον καὶ ἀβέλτερον ἢ ἄφημον* (i. e. *κακόφημον*). Nam *ΕΦΗΜΙΑΙ* seu potius *ΑΦΗΜΙΑΙ* decurtatum est ex *ΑΦΗΜΙΑΣΤΗΝ* et *ἀγροὶ καὶ* ex *ἄγροικον* corruptum. Spectant autem haec ad servilia Cretensium nomina. Strabo Geogr. XIV §. 37 ed. Coray *καὶ τὸ ἀντὶ δούλων τοῖς ἐν ἀκμῇ*

χρῆσθαι νέοις ὡς Κρῆτες μὲν τοῖς Ἀφαμιώταις, Λάκωνες δὲ τοῖς Εἵλωσι. Cum his cf. Athen. l. VI p. 264 A: *Σωσικράτης δ᾽ ἐν δευτέρῳ Κρητικῶν τὴν μὲν κοινὴν δουλείαν οἱ Κρῆτες μνοίαν καλοῦσιν, τὴν δὲ ἰδίαν ἀφαμιώτας.* Scr. *ἀφαμιώτητα.* Hesych. *μνοία· ἱκετεία,* quod Casaub. recte in *οἰκετεία* mutavit. Apud eundem *μνῆτοι δοῦλοι.* — *Μνῶα* (scr. *μνῴα*) *δουλεία.* Ductum hoc ex Hermonis glossis creticis Athen. l. VI p. 267 C: *Ἕρμων δὲ ἐν Κρητικαῖς γλώσσαις μνῶτας εὐγενεῖς* (scr. *ἐγγενεῖς* ex Eusthathio), unde concludas vocem fuisse, *μνῷες* quae corruptas *μνῶτες* et *μνῆτοι* genuerit. Voces hae haud dubie cum *μνα, μνήσασθαι* cohaerent, et *μνῷες ὑπήκοοι* sunt. Idem eodem libro p. 243 E: *καλοῦσι δὲ οἱ Κρῆτες τοὺς μὲν κατὰ πόλιν οἰκέτας χρυσωνήτους· ἀμφαμιώτας δὲ τοὺς κατ᾽ ἀγρόν.* — *Χρυσωνήτους* non potuit referri inter creticas glossas; excidit haec, cujus explicationem continet. Scr. *οἰκέτας μνῷας οἷον χρυσωνήτους,* si quidem vocem falso ad v. *μνᾶς* retulerunt. Eadem et eodem modo refert Eustath. ad Il. o. p. 1024 l. 33. Forma autem *ἀμφαμιώτας* praeferenda alteri *ἀφαμιώτας*, quam plures Athenaei MSS. praebent. Servat enim *Ν* ante *Φ* in M mutatum *ἀμφ,* quippe quod alpha privativo ex *ἄνευ* adhaesit. Ex eodem fonte *ἀμπλακεῖν, ἀμπλακίαι, ἤμπλακον* fluxerunt, et ipsae hujus stirpis voces servato *μ* in Latinam linguam transierunt: „*infamis, infamari, infamia*“, *α* in *ι* mutato, ut in tango contingo, facio efficio, et injustus, inutilis (*ἀνωφελής*) aliisque plurimis. Ista igitur Latina si Graece scribas: *ἄμφαμις, ἀμφαμία, ἀμφαμᾶσθαι* habes, voces, si non creticas, saltem doricas cascae antiquitatis, nec improbabile, cum apud Cretenses *μνῴα* de publica servitute dicta fuerit, unde *μνῶτες* seu potius *μνῷες*, apud eosdem de privato famulato *ἀμφαμία* adhibitum fuisse, unde *ἀμφαμιᾶται*, ut ex *ἀμφαμιόω ἀμφαμιῶται.* Posterior fortasse sola vera.

Jam si ad Aeschyleum illud *φροιμίοις ἐφημίοις* redimus, quod e Vict. editione in sequiores propagatum est et etiam in Wellaueriana locum suum tuetur, patet vocem cum iis, quas explicuimus, velut eum

stirpe sua collatam, nullam ad eas analogiam habere. Defensorem tamen nacta est Klausenium, qui eam ad vocc. ἐφημοσύνη et ἐφήμων revocat, nullo sensu neque successu. Quo enim modo *mandati* notionem, quae illis vocibus inest, loco nostro applices? quo vero artificio e vocabulis, quae compositam radicem *ΕΦΗΜΟΝ* habent eamque e simplici *HE* (ἵημι, ἧμαι) deducunt, formam ἐφήμιος derives, quae saltem ἐφημόνιος esse deberet? Sin vero ad simplex etymon *HE* redeas, et ex eo ἥμιος, ἐφήμιος deducas, etiam γνώμιος, στήμιος et similia monstra tibi effingere poteris. — Conjecturarum larga hic seges. Auratus ἐκφημίοις, alii εὐφημίοις, quod Spanhemius et Abreschius voluerant, pro δυσφημίοις adhiberi. Sed omnis haec illius terminationis suboles juxta legitimam ἔκφημος, εὔφημος, δύςφημος locum suum tueri non potest; occurrit quidem n. pr. Φήμιος sensu activo qui famam parit aut spargit, item Ζεὺς εὐφάμιος, qui bona auguria mittit, de quo supra, nihil neque amplius neque ultra. Hic autem φροίμια δύςφημα requiruntur, sunt enim ipsa dissona κακόφωνα. Ob eandem causam neque Blomfieldius qui φροιμίοις ἀφημίοις, neque Butlerus audiendus, qui φοιμίοισι φημίοις proponit. Jacobus ἐφυμνίοις, quod Klausenius cum ἐφυμνοῦν Choeph. v. 380 contulit praepostere. Cui vero hoc accinet Cassandra? Schützius φροιμίων εὐφημίαις, nixus locis Hesychii corruptis, quibus et ipse effici putat, εὐφημίαις κατ' ἀντίφρασιν pro δυσφημίαις adhibitum esse. Haec tamen, ut puto, penitus expulimus. Non moror Bothianum φροιμίοις ἐφ' ἡμέρας nec G. Hermanni inventum φροιμίοις φαντασμάτων, quod J. Franzius quamquam cancellis inclusum in textu habet notatque, genuinum quid sit, nunquam fortasse inventum iri inquiens; contra Hermanus mutata sententia novum adjectivum excudit, et in adnotationibus monet: „Quid scripserit Aeschylus, certo dici non potest. Posui quod optimum videretur φροιμίοις δυςφροιμίοις." Quod si ut supra observatum est, librarii oculus post φροιμίοις in finem sequentis versus ἐφημένους aberravit, hoc eo facilius fieri poterat, si vox omissa huic alteri ἐφημένους similis erat. Hinc cum seges illa nominum in ιος excrescentium admitti non possit,

puto Schützium vero proxime accessise, dum proponeret *φροιμίων εὐφημίαις* et spreta illa antiphrasi haud cunctanter scribam *φροιμίων δυςφημίαις*. Nam ad formam genuinam quidem, sed cascam *ἀμφαμίαις* redire non ausim. Oppositum habet Pind. Pyth. x, 34 sqq. *ὧν θαλίαις ἔμπεδον εὐφαμίαις τε μάλιστ' Ἀπόλλων χαίρει. Εὐφαμίαι* hic ad faustas acclamationes spectant, quibus deum excipiebant. Nostro autem loco oratio Cassandrae ab infaustis vocibus i. e. *δυσφημίαις φροιμίων* incipit, quae continentur v. v. *ἰὼ, ἰὼ, ὢ, ὢ κακά*. Ita apud Eurip. Il. e, cub. v. 177, 899. Matth. *Ἑκ. Ἰώ μοι, τέκνον. Πολυξ. Τί με δυσφημεῖς; φροίμιά μοι κακά.* Sensus igitur: *Heu, heu, hem, hem mala! Denuo me vaticiniorum labor circumagit, concutiens me prooemiorum infaustis vocibus* i. e. terroribus ita concutior, ut in voces male ominatas erumpi cogar. *Ὑπό* non significat *sensim, paulatim;* nam diro furore subito conripitur vates et eo agitata haec pronuntiat. Hinc *ὑπὸ* i. e. sub pectore, intus, ad *στροβεῖ* referendum, ut in simili vehementia Jo. summo furore correpta, Prom. 880: *ὑπό μ' αὖ σφάκελος καὶ φρενοπληγεῖς μανίαι θάλπουσ'.* — *Ὀρθομαντείας πόνος*, qui non a simulata, sed vera vaticinatione movetur. Neq sine causa *ὀρθομαντείαν* commemorat, cum *ψευδόμαντις* haberi omni modo declinet.

III.

Notae in Aeschyli versus praecedenti loco contiguos.

His absolutis addamus observationes exegeticas et criticas, quibus reliquae orationis Cassandrae partes locique ei subjecti illustrentur.

vv. 1190—1195.

Ὁρᾶτε τούςδε — ὧν πατὴρ ἐγεύσατο.

Filios Thyestae animo videt aedibus assidentes δόμοις ἐφημένους instar simulacrorum, quae in somniis apparent ὀνείρων προςφερεῖς μορφώμασιν i. e. non clara sed nebulosa specie. Vulgo novo periodi initio adduntur: παῖδες ... πρέπουσιν ct. Subjecto παῖδες accedunt θανόντες ὡςπερεὶ πρὸς τῶν φίλων, in quo jure ambigunt interpretes. Blomfieldius inciso distingnit post παῖδες, ut ὡςπερεὶ πρὸς τῶν φίλων θανόντες coeant. Malè id factum judicat Godofredus Hermannus. Non enim inquit, ὡςπερεὶ pertinere potest ad πρὸς τῶν φίλων, quia in occisis non apparet, a quibus sint occisi, sed refertur ad παῖδες *quasi pueri* videntur. Fregit vim dicti Schützius vertens: *pueri mihi apparent.* Non sibi, sed quisquis illam imaginem umbrarum cernere possit, pueros videri significat". Non illa est versio Schüsii. Ait enim, „quasi *pueri illi* mactati ab amicis implent manus carnium domestico cibo" putatque juvenum umbras indicari, Thyestae pueris ad speciem similes. Ceterum recte monet G. H. ὡςπερεὶ non posse pertinere ad πρὸς τῶν φίλων, sed neque ad παῖδες referenda sunt, *quasi pueri videntur.* *Νέους* enim dixerat, quare igitur παῖδες addito hoc *quasi* introducerentur? et si erant, ut visum Cassandrae, Thyestae filii, pueri erant, non *quasi* pueri videbantur. Neque simulacrum aliquod puerorum, sed ipsos pueros somniorum specie se videre putat, quod ipsa descriptione manifesto demonstrat. Inde concludas, lectionem esse corruptam. Nempe ὥςπερ εἰ vel ὡςπερεί indicat, rem aliquam in comparationem adhiberi, Agam. 1389: οὐ προτιμῶν ὡςπερεὶ βοτοῦ μόρον ... ἔθυσεν αὑτοῦ παῖδα. Choeph. 742: τὸ μὴ φρονοῦν γὰρ ὡςπερεὶ βότον τρέφειν ἀνάγκη. Nostro autem loco cum res, quae facta est, non qualis fieri potuerit, neque quae conspici videatur, sed quae revera conspiciatur, animo Cassandrae obversetur, patet, scribendum esse ὥςπερ οὖν *ut revera factum est*, seu quae eorum sors revera fuit. Addit hoc tanquam aliquid, quod ut G. H. monuit, non ex specie eorum oblata percipi potest, sed quod ipsa scit eis accidisse. Cf. Agam. 1400: Μεγαλόμητις εἶ, περίφρονα δ' ἔλακες· ὥςπερ οὖν φονολιβεῖ τύχᾳ φρὴν ἐπιμαίνεται, i. e. ut in tali sorte

fieri debet, et addito *ἔχει* antea v. 1144: *τὸ μὴ πόλιν μὲν ὥςπερ οὖν ἔχει παθεῖν.* Versu seq. *πλήθειν* i. q. *πληροῦν implere.* Vertunt manus *implentes;* sed ratio praesentis non constat, et legi deberet *πλήσαντες.* Re vera enim plenos habere manus visuntur, ut seqq. monstrant: *σὺν ἐντέροις τε σπλάγχν' . . . πρέπουσ' ἔχοντες.* Hinc credam, *πλήθειν* h. l. significationem mediam habere, ut *πλήθων* sit, qui *plenus, refertus* est, et hic quidem addito accusativo *χεῖρας pleni, repleti manus,* ut pateret, quonam *πλήθοντες* referretur. Valet haec significatio in notisimo illo *ἀγορὰ πλήθουσα* scil. *ἀνθρώπων,* quod Pindaro est, Pyth. IV, 85: *ἐν ἀγορᾷ πλήθοντος ὄχλου* i. e. *ἐν ἀγορᾷ ὄχλου πληθούσῃ,* ita ut notio a foro ad populum transferatur, *frequenti populo.* Eadem significatio productioris formae, sed mediae v. 1343: *Ταύτην ἐπαινεῖν παντόθεν πληθύνομαι.* — *Κρέα* autem sunt *οἰκείας βορᾶς,* quod male vertit Stanlejus (manus implentes) „*cibo proprio carnium*". Non enim caro *οἰκεία* dicitur, sed *βορά devoratio,* eaque revera erat *domestica:* Pater enim erat, qui carnem eorum gustaverat. Jam hi *πρέπουσιν ἔχοντες σπλάγχνα σὺν ἐντέροις,* eaeque carnes sunt *ἐποίκτιστον γέμος.* Hoc non est „*ferculum miserabile*" ut Stanl. vertit, minus etiam *fartum,* quae Wellaueri est versio in Lex. Aeschyl., sed refertur ad verba *πλήθοντες χεῖρας,* quod et *γεμιζόμενοι χεῖρας* dici potuisset ut Agam. 432: *γεμίζων·* (*γεμίζοντος*) *λέβητος εὐθέτου.* Est igitur non stomachi, sed manuum flebile *γέμος* de quo hic sermo. *Κρέα* seorsim posuit, et ut par erat, *ἔντερα* atque *σπλάγχνα* inter se juncta eis subjunxit. *Κρέα* enim vox generalis est, *σπλάγχνα* et *ἔντερα* ad coenae praeludia pertinent. *Ἔντερα* (die Gedaerme) sunt *intestina* inferioris alvi, *σπλάγχνα* autem *viscerum partes nobiliores,* cor, jecur, pulmones, alia. Haec ad veru applicata intestinis circumdare et super carbones assata gustare solebant ad coenae initium, ut etiam nunc mos est istius gentis hominibus. Inde Homericum illud *σπλάγχν' ἐπάσαντο,* quod in rem suam transtulit Aeschylus, addens *ὧν πατὴρ ἐγεύσατο.* Sed qua differentia a prioribus v. 1067 *κλαιόμενα*

τάδε βρέφη κ. τ. λ. haec inferuntur? Non enim Aeschyleum est, eandem rem *δὶς καὶ τρὶς ἀνατολεῖν.* Nimirum in praecedenti loco ipsam rem, pueros ad caedem raptos, mactationem et patris dapes viderat, ut scelestas Atridarum aedes notaret. Nunc species eorum nocturnas ex orco evocat. Carnes, nempe intestina, viscera quae dapibus inservierant, manibus gerunt vindictam horrendi facinoris ex Atrei stirpe flagitaturi. Constructio tamen non satis certa. Post *μορφώμασιν* interrogandi signum habent editiones veteres et, ni fallor, codices. Schützius punctum posuit et vertit: *videte* hosce juvenes cet. adversante G. H. qui „aptior, inquit, et fortior est ad animos commovendos interrogatio. Nam si jubet videre, spectatores quoque oculos illuc convertunt, quumque nihil conspiciunt, tum demum solam illam fatidicam imaginem cernere intelligunt. Si autem interrogat, quaestio prodit ipsam videre, quod alii non viderent, quo statim torror animum corripit". Haec acutius quam verius disputantur. Nam si spectatores *jussi* oculos eo, quo vult vates, convertunt, non video, quare id non faciant interrogati *ἐνδεικτικῶς ὁρᾶτε τούςδε*? Ni fallor, omnes, qui hoc audiverunt, spectatores sive interrogati sive jussi intellexerunt omnes ne uno quidem excepto fatidicae esse visa, quae cernit, non spectacula oculis exposita. Gravior autem et orationi convenientior exhortatio est hoc loco, quam interrogatio, neque in praecedentibus vaticiniis interrogat Cassandra nisi dubia, contra jubet et hortatur si rei certa est. Jam vero *χεῖρας κρέων πλήθοντες* cum sine nexu subjungantur, monet S. H. copulam nullam poni, quia declarentur praegressa. Verum hoc, sed mala est divisio eorum, quae ad *πρότασιν* et *ἐπεξήγησιν* pertinent. Priori non potest detrahi versus *παῖδες θανόντες κ. τ. λ.* is enim ad declarationem de puerorum apparitione i. e. ad *πρότασιν* absolvendam necessarius est, *ἐπεξηγήσεως* est commemorare, hi pueri quid faciant et sibi velint fitque hoc inde a verbis *χεῖρας κρεῶν κ. τ. λ.* Itaque reposito accusativo pro *παῖδες θανόντες* scribendum *ὁρᾶτε... νέους... Παῖδας θανόντας ὥςπερ οὖν πρὸς τῶν φίλων. Χεῖρας κρεῶν κ. τ. λ.* quo admisso facile sentias, *ἐπεξήγησιν* liberatam

esse ab impedimento satis gravi. Nam orbem ejus duo praedicata *χεῖρας κρεῶν πλήθοντες* et *σὺν ἐντέροις τε σπλάγχν' ἔχοντες* (nempe *χερσὶν*) explent communi verbo *πρέπουσιν* concinne nexa, ut nihil ad integram et absolutam sententiam desit et quidquid praeterea accrescat, ut factum erat versu *παῖδες θανόντες*, pro exuberantia sit habendum.

v. v. 1196—99.

Ἐκ τῶνδε ποινάς φημι — δούλιον ζυγόν.

Ἐκ τῶνδε vertunt: *propter haec*, Schützius: „*Ex hoc piaculo illa calamitas oritur.* Nempe dirae Thyestae, quibus fratris domum devoverat, Agamemnonem in illam Iphigeniae immolandae necessitatem adegerant, ob Iphigeniae autem caedem necaverat maritum Clytaemnestra cf. v. 1502 (1480) sqq. Sensus itaque hic est: *Inde igitur fit, ut leo quidam imbellis in lecto (Agamemnonis) volutatus, domi desidens ultionem meditetur venienti* (potius *reverso μολόντι*) *domino meo.* Pulchra mulieris caedem marito parantis descriptio et aptis verborum involucris tecta". Refert igitur descriptionem *imbellis leonis* ad *Clytaemnestram* nec aliter J. Franzius ceterique interpretes fere omnes et addicere videntur sequentia de falsis malitiosae canis blanditiis addita. Sed contra oeconomiam poëtae est, Thyesteam labem a caede Agamemnonis ita separare, ut illa tantum ad Iphigeniae mactationem tanquam causa ejus referatur, Agamemnonis caedes autem ad filiae mactationem ex illa ortam. Neque ad solum Atrei piaculum Aulidense facinus refert poëta, sed simul ad Dianae iras. E sequentibus autem patet, in caede perpetranda Aegisthum paternas injurias, Clytaemnestram filiae mortem ultos fuisse. Hinc Aegisthus sibi gratulatur *ἰδὼν...τὸν ἄνδρα τόνδε...χερὸς πατρῴας ἐκτίνοντα μηχανάς·* v. 1562 sqq. Itaque istam descriptionem ad Aegisthum referendam puto et jure pronunciat G. H. „Aegisthum dicit" provocans ad v. 1571 (= 1585), *ἐκ τῶνδε σοὶ πεσόντα τόνδ' ἰδεῖν*

πάρα.) Nimirum Aegisthus vindictam meditans, ut Homerus refert, Clytaemnestram, quamquam reluctantem initio, ad adulterium pellexerat (Od. γ, 272 sqq.). Hunc igitur et recte quidem dicere potuit λέοντ' ἄναλκιν quo opprobrio Homerus quoque eum notat (l. l. v. ἀνάλκιδος Αἰγίσθοιο) et his congrua quae v. 1616 sqq. chorus opprobria in eum confert. Porro ἐν λέχει στρωφώμενον. Hoc si de uxore thori socia accipias, inutilem dictionis luxum habes, contra de *adultero* in Agamemnonis lecto geniali decubante et in summa familiaritate adulteram ad facinus instigante cum vi concinne dicitur; item οἰκουρός. Nam οἰκουρός et οἰκουρεῖν *aedes custodire* omnino est *domi desidere otiosum*, quod virginum est Soph. Oed. Col. 343 κατ' οἶκον οἰκουροῦσιν ὥστε παρθένοι, Aegisthum autem Aeschylus tragoediae inclusit. In seqq. Farnefianae scripturae δούλειον ζυγόν est quale equi portant pro τῆς δουλείας τὸ ζυγόν et ita Hom. Od. ω 252, 53: οὐδέ τί τοι δούλειον ἐπιπρέπει εἰςοράασθαι Εἶδος καὶ μέγεθος. Sed ejusdem poëtae est δούλιον ἦμαρ usu continuo et cum hoc quoque loco nonnisi δούλιον ἦμαρ commemoretur, quod Cassandrae acciderit, neque servilis conditionis infamia et deformitas indicentur, in vulgata forma acquiescendum erit, quam Fl. Ven. praebent. Ad parenthesin φέρειν γὰρ G. H. notat: „Quoniam heri et domini appellatione usa est, dolens sortem suam regia virgo illud inserit φέρειν γὰρ χρὴ τὸ δούλιον ζυγόν." Praecedentia de Agamemnone, quibus οἴμοι inserit, aperto demonstrant, eam nunc quidem fatum Agamemnonis non suum dolere. Dicit igitur se dominum suum agnoscere et necem ejus lamentari, utpote quae sorti suae se submittere et facere debeat, qualia ancillae bonae frugis conveniant. His peractis ab imbecillo leone ad ferocem bestiam Clytaemnestram transit, simplici nexu orationem cum praecedentibus copulans.

vv. 1200—1203.

Νεῶν τ' ἄπαρχος . . . λέξασα . . . καὶ κτείνασα . . . τεύξεται κακῇ τύχῃ.

Duo lectionis vitia sustulit accurata Canteri diligentia, prius *ἄπαρχος*, quod tacite correctum in textu *ἔπαρχος* exhibet, et alterum *καὶ κτείνασα*, ad quae notat n. 23 „Malim *κἀκτείνασα*“. Hoc ipso vocabulo de uxoris oratione usus erat Agam. v. 890 *μακρὰν γὰρ ἐξέτεινας*.

„Admirabile est“, inquit Schützius, „quantum indignationis fervorem ista spirent: Navium vero dux ignorat cet.“ mox „*νεῶν δ'*. Vulgo *Νεῶν τ'*, sed adversativa h. l. requiritur.“ Idem Vossio placuit. Contra G. H.“ Id fortasse primo aspectu placeat, sed si accuratius consideres, falsum esse videas. Nam *δέ* posito *γλῶσσα μισητῆς κυνός* sic inferretur ac si jam praegressa esset mentio mulieris. In mente habebat Cassandra dicere *ποινάς φημι βουλεύειν λέοντα ἄναλκιν καὶ μισητὴν κύνα*. Nunc mutata orationis forma copulam tamen retinere debuit“. Observatio verissima, quamquam non admittendum, istam duplicis personae juncturam jam ab initio Cassandrae obversatam fuisse. Non enim ex Thyestea calamitate, ad quam *ἐκ τῶνδε* nos revocat, vindictam suam, sed ex morte Iphigeniae pendentem facit. Ceterum mutatio subjecti conspicua, quod initio est *γλῶσσα μισητικῆς κυνός*, sed post praedicata *λέξασα κἀκτείνασα* per *φαιδρόνους* ad personam transit, cujus de lingua dixerat i. e. Clytaemnestram indicatam genitivo *μισητῆς κυνός*. Mirum etiam, Thyrwitti commentum *λείξασα* non displicuisse Wellauero. Non enim de lambendo sanguine, sed de linguae fallaciis sermo. Ipse autem classis praefectus nescit, *οἷα τεύξεται* (nempe uxor) *κακῇ τύχῃ*, idque *δίκην ἄτης λαθραίου* instar pestis, quae in occulto latet. J. Franzius: „*τεύξεται*“ inquit, „futurum est a *τυγχάνω*“, item Wellauerus in Lex. Aeschyl. qui hoc loco utitur, ut doceat, *τυγχάνειν* etiam cum *accusativo* (*οἷα τεύξεται*) jungi. Fit sane hoc etiam Choeph. v. 700: *Ἀλλ' ἔσθ' ὁ καιρὸς ἡμερεύοντας ξένους μακρᾶς κελεύθου τυγχάνειν τὰ πρόςφορα*. Eodem modo *κυρεῖν* ib. v. 703 *κἀκεῖ κυρούντων δώμασιν τὰ πρόσφορα*, et Eumen. 30: *τυχεῖν ... ἄριστα*. Sed quaeritur, quo sensu id nostro loco dicatur J. Fr.: „nescit, quae oratio

extensa latura sit (was die Rede langgesprochen bringen wird)". Simili modo Stanlejus: „qualia *faciet* (factura sit) cum mala fortuna", Schützius: „*qualia* . . . *cum summo ejus infortunio perpetratura sit*". His omnibus vel inviti ad τεύχω revolvimur; at hoc quidem admitti non debet. Nam constanti usu id dicendum fuisset οἷα λέξασα τεύξει κακῇ τύχῃ ut Eum. v. 638: τὸ σὸν πόλισμα καὶ στρατὸν τεύξω μέγαν. Contra τεύξομαι ubicunque demum occurrat, ad τυγχάνω revocari et potest et debet. Τυγχάνειν autem ut notum, non raro significat *attingere* vel *contingere* aliquid (etwas treffen) et plena oratione habet additum genitivum rei, quam contigimus, ut Pind. Nem. *IV*, 27, 28: cum ἄντα· ἔλπομαι μέγα εἰπὼν σκοποῦ ἄντα τυχεῖν, aut accusativum, ut in locis ante allatis et Agam. v. 608: πῶς δῆτ' ἂν εἰπὼν κεδνὰ τἀληθῆ τύχοις; nec intelligam εἰπὼν cum Wellauero l. l. Nempe omittitur alter casus, si quidem e nexu intelligi potest. Ita in seqq. 1205 τί νιν καλοῦσα δυςφιλὲς δάκος τύχοιμ' ἄν; Inest his duplex accus. rei et personae et constr.: τί δυςφιλὲς δάκος καλοῦσά νιν τύχοιμ' ἄν; cujus infestae belluae nomine eam compellans *attingam* seu *assequar quod volo* i. e. convenienter dicam. Similia Choeph. 412: Τί δ' ἂν εἰπόντες τύχοιμεν ἄν; nempe nominare ut decet. Soph. Philoct. v. 222, 23: ποίας πάτρας ὑμᾶς ἂν ἢ γένους ποτὲ τύχοιμ' ἂν εἰπών, De hac structura Hermannus monet ad Viger. p. 762: „Omissus est genit. in Phoeniss. Eurip. 1006 ὥσθ' ἃ βούλομαι τυχεῖν, ut in Aeschyl. Agam. 1239" qui est locus noster. Jam cum οἷα necessario ad λέξασα κἀκτείνασα pertineat et nexus suspensam orationem requirat, integra dictio deberet esse: οὐκ οἶδεν οἷα . . . λέξασα . . . κἀκτείνασα οἷα vel οἵων τεύξεται. Non enim cum G. H. in Adnott. suppleam αὐτῶν, qui vertit: consequetur ea, sorte, qua non debebat, notatque: „οἷα dum addit, mentem et sententiam blandis verbis absconditam dicit, quam non intellexerit Agamemno". Hoc verissimum, sed alio referendum κακῇ τύχῃ. Plerumque enim τυχεῖν τινος vel τι in rebus bonis adhibetur, hic autem cum mala sorte Agamemnonis conjunctum est. Integram

structuram i. e. duplicatium *οἷον* habent Soph. Electr. *οἷ' ἔργα δράσας οἷα λαγχάνει κακά* et cum praepositione Soph. Antig. 933, 42. *λεύσσετε... οἷα πρὸς οἵων ἀνδρῶν πάσχω*, Aj. 554. *οἷος ἐξ οἵου 'τράφης*, cum adverb. ibid. 906: *οἷος ὢν οἵως ἔχεις.* Patet autem, quo consilio haec in nostro loco juncta sint. Nesciebat Agamemnon, qualia essent, quae dixerat uxor, latebat eum meras esse fallacias, nesciebat idem, quo consilio dicerentur, nempe ad ipsum blanditiis irretiendum et perdendum. Id agebat, id assequebatur, ipse autem *οὐκ οἶδε... οἷα... λέξασα... οἵων τεύξεται κακῇ τύχῃ.*

Vertendum igitur: nescit i. e. non intelligit, qualia sint, quae longa oratione exposuit neque qualia cum mala ipsius sorte assequutura sit.

vv. 1204—14.

Τοιαῦτα τολμᾷ θῆλυς· ἄρσενος φονεύς

Ἄγαν γ' ἀληθόμαντιν οἰκτείρας ἐρεῖς.

Vers. 1204. 5. 6. Vict. cum seqq. haec in tria cola dirimit: *τοιαῦτα τολμᾷ θῆλυς. ἄρσενος φονεύς ἐστιν. τί νιν καλοῦσα τύχοιμι;* nec aliter Porsonus atque G. H., quae mihi quidem disjecta membra poëtae videntur, nec in tali membrorum sectione fervorem quaeras, quem Schützius in hac *ῥήσει* jure miratus est. Sustulit interpunctionem Thyrwittus, ut jungantur *τοιαῦτα τολμᾷ θῆλυς ἄρσενος φονεύς* quo admisso *ἐστίν* structura excidit. Elmslej. observ. in Eurip. Heracl. v. 387 offensus est praesenti *ἐστίν*, sicubi versus initium occupat, ut in Euripideo illo *Ὁ γὰρ στρατηγὸς εὐτυχὴς τὰ πρὸς θεῶν Ἐστίν.* Dicit hoc rarissime fieri nisi initio sententiae vel saltem post aliquam pausam vel distinctionem. In Addendis ad observ. p. 137 ed. Oxon. quatuor sola tragicorum loca reperiri monet, quae ad *ἐστίν* hoc loco

defendendum allegari possint eoque corrigit primum nostrum: „Malim“ inquit, „τοιαῦτα τολμᾷ· θῆλυς ἄρσενος φονεύς. Ἔσται. Sed magis Aeschyleum videtur: τοιαῦτα τολμᾷ θῆλυς ἄρσενος φονεύς: εἶεν. τί νιν καλοῦσα κ. τ. λ.“ De usu satis crebro optativi hoc modo interjecti nulla dubitatio. Non tamen congruum fervori dictionis suspensa optativi significatio. Sequuntur distinctionem τοιαῦτα τολμᾷ Blomf. Wellauerus alii, sed ἐστίν retinent, ac hic quidem addens „quamquam haec distinctio non satis placet“. „At illa, inquit G. H. languet prae vulgata“. Vulgatum et ipsum languere id saltem non negavit. Hoc certum, ἐστίν initio versus positum, gravitatem habere et scribi debere ἔστιν i. q. ὑπάρχει ut ἔστιν θάλασσα. τίς δὲ νιν κατασβέσει v. 932, quae gravitas a nostro loco abest, quin debile aliquid inest in ἄρσενος φονεὺς ἔστιν quod multo gravius jam indicatum erat vv. τοιαῦτα τολμᾷ.

Juxta Farnes. lectionem τοιαῦτα τολμᾷ Fl. et Ven. τοιάδε τολμᾷ habent, quod ni fallor, τοιᾷδε τόλμᾳ fuit, nempe τόλμα pro τόλμη. Nam in graviore dictione dorica hac forma, alios ut taceam, usus est etiam Prometh. v. 13 Πάντως δ' ἀνάγκη τῶνδε μοι τόλμαν σχεθεῖν cf. Lobeck. ad Phrynich p. 331 et sensus esset: In tali audacia, seu tali audacia cum praedita sit θῆλυς ἄρσενος φονεὺς ἐστί, sed haec quidem post vigorem praecedentium debilia fere et superflua, et manet incommodum in ἐστίν. Non melius res procedit, si eum H. L. Ahrensio legas τοιάδε τόλμα θῆλυς ἄρσενος φονεὺς ἐστίν, non improbante, quod mireris G. H. Quaenam enim τόλμα θῆλυς, accedente ἄρσενος φονεύς? Num ipsa audacia ita dici potest? Haec cum ita se habeant, scribendum τοιαῦτα τολμᾷ θῆλυς ἄρσενος φονεύς· ἔστω· τί νιν καλοῦσα κ. τ. λ. Post indignationem in praecedentibus expressam non nisi indignabunda exclamare potest τοιαῦτα τολμᾷ θῆλυς ἀ. φ. Tum cohibet se addendo ἔστω ut ad sequentem interrogationem transitus pateat, quae jam sine copula subjungi poterat. De structura ad praecedentia egimus. Cumulat

convicia huic indignationi congrua. Non dubitat, venenosae belluae eam comparandam esse, sed interrogat, cuinam ex his comparari debeat: *τί νιν καλοῦσα κ. τ. λ.* Hinc pluribus nominibus ejus generis appellata ea, *Ἀμφίσβαιναν ἢ Σκύλλον τινα,* addit:

vv. 1208, 9.

Θύουσαν Αἵδου μητέρ', ἄσπονδον τ' ἀράν φίλοις πνέουσαν.

in quibus *Ἅδης* non de morte cum Naekio intelligendum, sed orcus est cui *sobolem parit*, i. e. novos incolas sistit furiosa mater ista, quod sequentibus declaratur, siquidem conjecturam *ἄσπονδον τ' Ἀρῆν φίλοις πνέουσαν,* recipias.

vv. 1212—14.

Καὶ τῶνδ' ὅμοιον εἴτι μὴ πείθω· τί γάρ; ... οἰκτείρας ἐρεῖς.

Constructio est: *καὶ ὅμοιον (ἐστί), εἰ μὴ πείθω τι τῶνδε, ac perinde est, si quid horum tibi non persuadeam.*

Plena oratione dixisset *καὶ ὅμοιόν ἐστιν εἴ τε τι τῶνδε πείθω εἴτε μή.* Cf. infra v. 1376: *σὺ δ' αἰνεῖν, εἴτε με ψέγειν θέλεις ὅμοιον,* ubi utrumque disjunctivae sententiae membrum ponitur omissa priore *εἴτε.* — *Τί γάρ;* Wellauerus particulis *quid enim* affirmandi significationem tribuit in interrogatione et ad Heindorfii nott. ad Plat. Sophist. 3: 38 provocat, qui male pro *τί μὴν* poni concludit. *Γάρ* indicat, de ratione praecedentium agi et praemissum *τί* hanc ipsam requiri. Idem in germ. *was denn?* Facit hoc Cassandra chori nomine et si particulis sententiam, quam indicant, substituas, ait: *Quid est, quod dicti mei causam afferam?* Non opus hoc, nam v. 1213 *τὸ μέλλον ἥξει. Perinde est, si fidem mihi non praebes. Veniet enim futurum tempus, quod oracula mea confirmabit.* Simplici structura oratio ita procederet: *καὶ ὅμοιόν ἐστι*

εἴτι τῶνδε μὴ πείθω. Τὸ μέλλον γὰρ ἥξει. Sed dum rationem dicti interrogando ipsa postulat, hac forma vim orationis auget.

Punctum post τὸ μέλλον ἥξει pausae majori inservit, quam sollemne illud et τὸ μέλλον ἥξει postulat. Lectionem σὺ μὴν τάχει primus tentavit Auratus scribendo μ' ἐν pro μήν, leni sane mutatione vel potius nulla, ne locus pronomine careret et sequuti sunt inde a Schützio et Porsono editores quot scio omnes. Non sequar. Nam καὶ μὴν in hac tam gravi asseveratione aptissimum, τάχει autem et τάχος aeque bene dicuntur ac ἐν τάχει. Accedit, quod μέ commodius post οἰκτείρας inseritur ad quod pertinet. Nec audiendus Blomfieldius qui καὶ σύ γ' ἐν τάχει παρὼν Ἄγαν μ' ἀληθόμαντιν proponit, minus etiam Bothius J. Fr., G. H. alii, qui γέ simpliciter delent. „Certe, inquit Blomf. eximendum videtur γέ, quod post ἄγαν habent edd. Eadem particula post ἄγαν vel λίαν se infersit Eurip. Androm. 956, Heracl. 205, Hippol. 267, Rhes. 670 (668)". Sed bellum, quod innocuae voci hac occasione movetur, injustum judico. Quo enim modo factum dicas, ut vocula istis locis et multis praeterea aliis se *inferserit* scilicet, si quidem opus non fuisset, et quid iis locis facias, in quibus metrum eam tuetur? Hoc versu asseveratio a καὶ σὺ μὴν inchoata etiam ad ἄγαν γε extenditur. Nam γέ in his quoque, ut in reliquis, auget vim vocabulorum, quibus subjungitur, tonique situm in sententiis constituit (nur zu sehr) Cf. nostr. gramm. maj. ed. III. §. 303 init. Fit hoc imprimis, si asseverationis particulae, quales sunt καὶ μήν praecesserunt, ut nostro loco et v. 1227 καὶ μὴν ἄγαν γ' Ἕλλην' ἐπίσταμαι φάτιν. Exstitit denique H. L. Ahrensius, qui καὶ σύ μ', ἢν τύχῃ παρόν legendum conjecit. Sed haec mera est interpolatio, quippe non dubitanter potest dicere Cassandra: *si forte advenerit*, cum certo sciat, eventurum et adfuturum chorum, dum eveniat. Id mox disertis verbis pronunciat v. 1219: Ἀγαμέμνονός σέ φημ' ἐπόψεσθαι μόρον, quibus sententiam vv. σὺ παρὼν ... ἐρεῖς alio tantum modo exprimit. Accedit, quod in re, quam

instare jam dixerat (*τὸ μέλλον ἥξει*) ista mutatio *περιττολογίαν* habet et nervum dictionis solvit. Hoc tamen amici improsperum commentum, ut multa alia non melioris notae J. Franzius in textu posuit, provocans ad v. 1222: *οὐκ, εἰ παρέσται γ'* vel *εἴπερ ἔσται γ'* scil. quod dixisti, sed talis dubitatio in chorum quidem cadit, animo adhuc suspensum, in Cassandram cadere non potest.

vv. 1215—18.

Τὴν μὲν Θυέστου δαῖτα . . . ἐκ δρόμου πεσὼν τρέχω.

Dapes Thyesteas intellexit et perhorruit (*ξυνῆκα καὶ πέφρικα*).

Haec et verba *καὶ φόβος μ' ἔχει*, Schützius in maj. ed. colo interposito liberavit, jure laudatus a G. H. qui comma quoque post *ἔχει* sustulit. Sed haeret structum in sqq. *Κλύοντ', ἀληθῶς οὐδὲν ἐξηκασμένα.* — *Ἐξεικάζεσθαι* est similem facere et aequiparare i. e. ita effingere aliquam rem, ut rei verae similis appareat, et adhibetur etiam absque dativo rei, cui altera acquiparatur, Aristopi Eqq. v. 230: *καὶ μὴ δέδιθ', οὐ γάρ ἐστιν ἐξηκασμένος* (nempe Cleon., persona ejus non est ad similitudinem ipsius facta). *ὑπὸ τοῦ δέους γὰρ αὐτὸν οὐδεὶς ἤθελε Τῶν σκευοποιῶν εἰκάσαι· πάντως γε μὴν Γνωσθήσεται.* Sed vitium in eo quod *ἀληθῶς οὐδὲν ἐξηκασμένα* sine copula si jungantur *ἀληθῶς* non habet quo referri possit. Scrib. *κλύοντ' ἀληθῶς κ' οὐδὲν ἐξηκασμένα*, ubi ad *ἀληθῶς* intell. *εἰρημένα* quod ex apposito *ἐξηκασμένα* facile suppleas. *Dum audio* (de Thyestae filiis) *quae a te ad veritatem relata nec ullo modo fucata dicuntur timor me occupat.*

Ad *φόβος μ' ἔχει* e nexu suppleas, ne et ea vera sint, quae imminentia canis. Haec quae sint, se opinari quidem, sed non clare perspicere ait, metaphora adhibita de equis, qui terrore correpti cursu excidunt et huc illuc evagantur: *τὰ δ' ἄλλ' ἀκούσας ἐκ δρόμου πεσὼν τρέχω* i. e. ambiguus erro de sensu eorum. Nunc demum ne

dubium amplius relinquatur, in vaticinium erumpit, quod initio orationis v. 1151 promiserat apertum et velaminibus aenignatum liberum, propinquam Agamemnonis caedem anunciando v. 1219 *Ἀγαμέμνονός σέ φήμ' ἐπόψεσθαι μόρον.*

v. 1221. *Ἀλλ' οὔτι Παιὼν τῷδ' ἐπιστατεῖ λόγῳ.*

Sensus: At vero nulla ratione Paean orationi meae adsat. i. e. licet ego tibi obsecundans taceam, hoc tamen, quod dixi, ita comparatum est, ut medela nulla ei adhiberi possit. In *παραστατεῖν* auxilii ferendi notio inclusa est ut v. 1049 (*θεὸν*) *οὐδὲν προςήκοντ' ἐν γόοις παραστατεῖν.*

v. 1222. *οὐκ, εἰ παρέσται γ'.*

Schützius scr. *οὐκ, εἴπερ ἔσται,* quod probant Pors. Blom. G. H. Wellauerus id in textu habet et in nota ait, „sed vulgata lectione (an lectio?) necessaria est". Tentat Wellauerus explicationem vulgatae, dum *λόγος* ad *εἰ παρέσται* intelligit et vertit *„si id, quod dicis, praesens aderit,* i. e. si factum erit" hocque ait simplici *ἔσται* non exprimi. *Παρέσται* si servas, tunc quidem in hoc nexu *λόγος* e praecedente *λόγῳ* vix intelligi poterit, neque si possit, *λόγος* hoc sensu i. e. continens pro contento, dici non magis probabile. Facilior ratio Aurati, qui *εἰ τάδ' ἔσται* scribit, sed dictionis indoles subjecto insuper voto *ἀλλὰ μὴ γένοιτο πως* ad limitationem istam *εἴπερ* inclinat. Auget vim futuri addita vocula *γέ.* Siquidem eventum habebit, ac revera interfectus erit Agamemnon, tunc sane *οὔτι Παιὼν ἐπιστατεῖ. Ἀλλὰ μὴ γένοιτό πως* quae aptassime sese excipiunt.

v. 1233. *Σὺ μὲν κατεύχῃ κ. τ. λ.* Non sine ironia respondet Cassandra: *Tu quidem in preces effunderis* (*κατεύχῃ*) *illis vero curae est occidere,* illi vero caedem praeparant. Aegisthum et Clytaemnestram dicit, quos non nominaverat quidem, sed tamen indicaverat v. 1196—99.

Versus 1225 *ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις χρησμῶν ἐμῶν* laborat structura verbi *παρεσκοπεῖν* cum genitivo et particularum cumulo. Legit *παρεσκόπης* supra posito *ει* Fl. item supra posito *ης* Ven. ut G. Hermanno videtur, *παρεσκόπ'* Fa. Lectio igitur antiquitus tradita *παρεσκόπης* fuit, quam cum aperto vitiosa esset scribere supra posito *ει* emendare voluerunt. Hinc Vict. *ἦ κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις*; item Canterus cum interrogandi signo, quod quidem cum conditionali *κάρτ' ἄρ' ἂν παρεσκόπεις* non congruit non monito lectore suppressit Stanlejus. G. H. defendi posse *ἂν* statuit. Sed sine omni causa particulam conditionalem adhiberet Cassandrae in re, quam pro certo habebat? Hinc magna seges conjecturarum nata, quarum nulla praestat ei, quam Canterus n. 25 proponit: „Videtur, inquiens scribendum conjunctim *ἀράν*". — *Ἀράν* ad imprecationes referendum, quae a v. 1205 et seqq. in auctorem caedis congeruntur et manifesto uxorem regis designant. Infra v. 1599 chorus Aegistho *δημοριφεῖς λευσίμους ἀράς* lapidationes cum exsecratione conjunctas denunciat, qualem hic vaticiniis suis in Clytaemnestram incluserat.

v. 1226. *Τοῦ γὰρ τελοῦντος οὐ ξυνῆκα μηχανήν.*

Γάρ indicat, quatenus verum sit, quod Cassandra culpaverat in praecedenti versu. Cum vero ignorantiam suam de caedis auctore jam in priore quaestione indicasset, novum aliquid respondere debet idque aperte in v. *μηχανήν* continetur. Nimirum fatetur, aliquatenus verum esse, quod culpet vates; se enim non intellexisse (*οὐ γὰρ ξυνῆκα*), qua machina, quibus artibus is, quem dicat, facinus perpetrare ausurus sit tantum et tam periculosum. De auctore igitur re denuo perpensa non dubitat amplius, at vero de ratione caedis perpetrandae. Manifestior is sensus esset, si scriberes: *τὴν γὰρ τελοῦντος οὐ ξυνῆκα μηχανήν*. Sed nihil mutare ausim.

v. 1227. *Καὶ μὴν ἄγαν γ' Ἕλλην' ἐπίσταμαι φάτιν.*

Dubitatur quo pertineant haec, addito inprimis *ἄγαν γ'* sed quae respondet chorus: *Καὶ γὰρ τὰ πυθόκραντα* sc. *Ἕλληνα φάτιν ἐπίστανται*, aperto id indicant. *Πυθόκραντα* enim sunt, quae Pythone dicta eventum habent (*κραίνονται*) cum respectu ad Pythiam, quae et ipsa graece sciat et tamen intellectu difficilia eloquatur. *Ἄγαν* dictum est ut v. 1214 *ἄγαν γ' ἀληθόμαντιν οἰκτείρας ἐρεῖς* cum respectu ad audientes. Nimis graece scio (nur zu gut) quae scilicet scientia iis, qui me audiunt, tam ingrata esse debet ob argumentum vaticiniorum meorum.

Ad haec non amplius Cassandra respondet, sed, dum suae ipsius sortis cogitatio et imago mentem subit, novo se furore correptam sentit et, quae sibi immineant, prophetica dictione ornat et persequitur, Clytaemnestrae et Aegisthi mentione sub nominibus leaenae et lupi praemissa.

v. 1229. *Παπαῖ, οἷον τὸ πῦρ ἐπέρχεται δέ μοι.*

Structura, si nulla ut in MSS. interpunctio intercedat, erit: *οἷον δὲ τὸ πῦρ ἐπέρχεταί μοι.* Sed ille particulae situs in ultimo pede versus vitiosus praecedente exclamatione. Interrogationis signum post *μοι* posuit Stanlejus, quem sequitur Porsonus. Eo augetur malum, non tollitur. Aperta enim est exclamatio, neque interrogare potest, quae scit et jam elocuta est v. 1188: *Ὑπ' αὖ με κ. τ. λ.* Nec melius Blomf., de quo G. H. „Permirum est", inquit, „Blomfieldii interpunctionem: *παπαῖ· οἷον τὸ πῦρ ἐπέρχεται δέ μοι*, Wellauero et Scholefieldio, qui tamen interrogationem sustulerunt probari potuisse", tum monet, id, quod vult saltem dici debuisse *οἷόν τι πῦρ* additque: „At tam elumbem versum certo non scripsit Aeschylus". Ipse in praef. ad Huub. p. LV scripserat: *Παπαῖ, οἷόν μοι πῦρ ἐπέρχεται τόδε*, nunc *Παπαῖ τόδ' οἷον πῦρ ἐπέρχεται δέ μοι*

et explicandi causa haec praemittit: „Quasi ignem cernere sibi videtur Cassandra eumque adversus se accedentem; intelligit autem perniciem sibi a Clytaemnestra appropinquantem“. Non satis clarum est, num sortem sibi imminentem cum igne a Clytaemnestra accenso comparantem faciat virginem, an incendii flammas indicantem, quas videre et appropinquare sibi credat. Hoc si finxit, imminentibus flammis, nullam dissserendi moram reliquit, si comparationem voluit, haec quidem ad terrorem, quem sequentia spirant, movendum non sufficit et ante voces quas impetuose effundit *Ὀτοτοῖ Λύκει᾽ Ἄπολλον: οἳ ἐγὼ ἐγὼ* ipsam divino aestu correptam et animam tumultu agitatam exhibent. Si tamen ad ignem a G. H. excogitatum redeas, non sane erat, quare nominato eo subjunctivum *ἐπέρχεται δέ μοι* inferret neque poeta neque prosae scriptore in tali mentis agitatione dignam. „Was ist das für ein Feuer? es kommt aber auf mich zu“. Auratus *ὅσον* pro *οἷον* proposuerat improspere, quia quantitatem ignis male commemoraret, ubi de vi et efficacia divini, quo agitur incendii sermo est. *Ὅσον* tamen suum fecit Stanlej.: „Malim“ inquiens, si divinare licet *ὅσον τὸ πῦρ ἐπέρχεται δέμας*“. Illud tamen „*elumbe*“ *δέ μοι* felici emendatione optime removit. Sed in *τὸ πῦρ* articulus aperto vitiosus, quia non dicitur quisnam ille ignes sis, quem articulo designat. Loci puto vigorem suum restituas, si exclamationem seorsim ponas et scribas:

Παπαῖ.
Οἷον τόδ᾽ αὖ με πῦρ ἐπέρχεται δέμας.

Cf. v. 1188 *ὑπ᾽ αὖ με δεινὸς ὀρθομαντείας πόνος στροβεῖ.*

Nempe suae ipsius caedis imagine gravius movetur. Hinc v. 1231—33: *Αὕτη δίπους — με τὴν τάλαιναν κ. τ. λ.* Incipit ab hoc infami concubitu indignata, quod Clytaemnestra adultera ipsa in se, advenientem servam et domini arbitrio subjectam, tam dira machinatur.

vv. 1233—36.

ὡς δὲ φάρμακον . . . ἀντιτίσασθαι φόνον.

Stanlej.: „Omnino“, inquit, „laborat sensus, qui tamen melius constabit, si legimus *κἀμὲ μισθὸν ἐνθήσει κότῳ* vel cum Jacobo: *κἀμὲ μισθὸν ἐνθήσει κύτει*“. Post eum longa conjecturarum series, quae usque ad recentissimos editores extenditur: Has vanas esse omnes accuratior loci explicatio evincet.

Φάρμακον Schützius vertit *medicamentum*, Blomf. *toxicum*. E sequentibus autem manifestum, acerba ironia uti Cassandram et sortem, quam Agamemnoni parat uxor, poculo amatorio *φίλτρῳ* comparare. Huic ut vis magica paretur, diversa miscent *φαρμακεύτριαι* apud Theocritum, Horatium alios. Tali igitur potioni, quam Agamemnoni parat, amatoriae scilicet, culpa quoque in Cassandrae adductione admissa immiscetur tamquam praemium seu merces, quae et ob pellicis curam ab uxore debeatur. Hic igitur *ἐμοῦ μισθός*, qui philtro injicitur et si acerbitatem ironiae solvas, indicat vates, suam necem addi, ut per vindictam adductae pellicis marito caedes eo acerbior fiat, quod factum esse ipse Rex Ulyssi declarat ap. Hom. Od. λ v. 421 *οἰκτροτάτην ἤκουσα ὄπα Πριάμοιο θυγατρὸς Κασσάνδρης, τὴν κτεῖνε Κλυταιμνήστρη δολόμητις ἀμφ' ἐμοί.* Nec minus vitiosum, quod omnes, quantum scio, editores *ἐνθήσει* vel *ἐνθήσειν κότῳ* ita junxerunt, ut merces diceretur irae admisceri. Nam quod *μισθόν* illum constituit, pars irae est nec tanquam diversum aliquid irae admisceri potest. Aperto autem ad *ἐνθήσει*, cum *ὡς δὲ φάρμακον τεύχουσα* praecedat, intellig. erit *αὐτῷ*, et *κότῳ* adverbii vel adjectivi vice fungitur: *ex ira* vel *irata*. Redeunt igitur haec omnia ad iram cum invidia mixtum, qua Cassandrae adspectus Clytaemnestrae animum incendit. Jam *κότῳ* positum est, ut v. 1184 *ἄνατος ἦσθα Λοξίου κότῳ*. Sensus totius loci „*velut philtrum paratura praedicat se mei quoque mercedem i. e. praemium pro mea adductione ei admixturam*

esse iracundia. Et revera de amoribus Agamemnonis morte pellicis punitis gloriatur Clytaemnestra v. 1415 et imprimis 1421. *Κεῖται φιλήτωρ τοῦδ᾽, ἐμοὶ δ᾽ ἐπήγαγεν εὐνῆς παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς.* Verbis *ἐμῆς ἀγωγῆς κ. τ. λ.* inest structura: *φόνον τίσασθαι ἀντὶ ἐμῆς ἀγωγῆς*, et *τίσασθαι* pro *εἰςπράξασθαι*, exigere, sensu raro, sed jam Homerico Od. υ, 15: *ἡμεῖς δ᾽ αὖτε ἀγειρόμενοι κατὰ δῆμον τισόμεθ᾽*, *aestimatione facta exigemus* a populo, nempe dona Ulyssi viritim data. Nondum tamen absoluta loci explicatio: Manet enim *ἀσύνδετον*, quod G. H. recepta lectione Farnesiana *ἐνθήσειν* tollere voluit. In ea autem si acquiescas, conglutinantur et confunduntur sententiae duae, quas Cassandra accurate distinguit, nempe Clytaemnestram instar pharmaceutriae philtrum marito miscere, sui quoque mercede injecta, cui alteram explicationis causa subnectit, eam dum gladium in maritum acuat (haec enim est *φαρμάκου* praeparatio) poenam pro ipsius adductione simul exacturam esse. Haec igitur duo in unius periodi ambitum constringi non debent. Nec tamen laudem Dindorfium, qui *κἀπεύχεται* servato *ἐνθήσει* proponit, neque J. Franzii *ἦ 'πεύχεται* vel *ἡ 'πεύχεται*, quod nequaquam probabilius est ut putat. Utraque enim junctura debilior pro dictionis vigore neque ambitum periodorum Aeschylearum referunt fracta haec et velut decurtata orationis membra: *αὕτη . . κτενεῖ με τὴν τάλαιναν; ὡς δὲ φάρμακον τεύχουσα κἀμοῦ μισθὸν ἐνθήσει κότῳ.*

Spiritus autem et velut anhelitus orationis requirit, ut *ἐπεύχεται* a praecedentibus non separetur, simulque ad alteram extendatur sententiam. Itaque scribendum erit:

ὡς δὲ φάρμακον
Τεύχουσα κἀμοῦ μισθὸν ἐνθήσειν κότῳ
Ἐπεύχεται, θήγουσα δ᾽ ἀνδρὶ φάσγανον
Ἐμῆς ἀγωγῆς ἀντιτίσασθαι φόνον.

vv. 1237—41.

Τί δῆτ᾽ ἐμαυτῆς καταγέλωτ᾽ ἔχω . . πλουτίζετε.

Cassandra tanquam fatidica sacerdotali Pythiae habitu introducta erat. Induerat *χρηστηρίαν ἐσθῆτα* stolam largam et ad pedes demissam *στολὴν ὀρθοστάδιον*, dictam *ποδώνυχον*, in glossa Hesychiana *ποδώνυμον* (scr. *ποδώνυχον*) ἡ *ἐσθὴς τῆς ἱερείας Πανδρόσου*, quam ex statuis Pandrosii novimus, cujus tectum *ἱερόδουλαι* Pandrosi sustinent. Manu gestabat sceptrum et vittas in capite a temporibus utraque parte supra humeros dependentes v. 1238: *μαντεῖα περὶ δέρει στέφη*. Eadem *στέφη στέμματα* Homero dicta, quae Chryses Apollinis sacerdos gestabat, sed in sceptro alligatas protendens utpote supplex Il. *α* 14: *στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ*. Eadem est infula, de qua Virg. Aen. II, 430: nec Apollinis *infula texit*, nempe Pirithoum, Apollinis sacerdotem in Trojae excidio. Albi erat coloris ex lino tenuissimo et purissimo texta. Sceptrum autem istud *ἰθυντήριον* dictum fuisse et ex oliva factum docet glossa Hesychiana, commemorata a Spanhemio: *ἰθυντήριον ὃ φέρουσιν οἱ μάντεις σκῆπρον ἀπὸ ἐλαίας* nominatum ex eo, ni fallor, quod ejus auxilio regiones et loca vaticiniis apta describere solebant. Haec igitur ei jam *καταγέλως*, ludibrium sui ipsius videntur, non solum, quod, dum ea gestabat, ludibrio ipsa est sacerdos simul et serva, sed etiam quod in summo instantis caedis periculo nihil ei sunt profutura. Caedis enim imago, cum in praecedentibus ei obversaretur (v. 1233 *κτενεῖ με τὴν τάλαιναν*), ex interna affectuum natura jam subjungit: *Quid vero* (*τί δῆτα*) *id fatum cum instet, hoc velut mei ipsius ludibrium καταγέλωτα gesto?* Praeclara autem poëtae arte factum, quod augescente animi affectu, virginem dignitatis irrisae insignia projicientem inducit eoque indignationem ejus cum sui ipsius miseratione miscentem.

v. 1239. *σὲ μὲν πρὸ μοίρας τῆς ἐμῆς διαφθερῶ.*

Offendit *σέ*, quod ad *σκῆπτρα καὶ μαντεῖα στέφη* cum referri non possit, *στολήν* intellexit glossator Flor. *ἐσθῆτα* glossa Far. non contradicente G. H. Quomodo autem pro eis, quae nominaverat, omnibus sacer-

dotalem habitum alloqui jam potest, quam in praecedentibus non nominaverat, sed sceptrum et vittas? et sane indecora esset vestium scissio ante virorum oculos a virgine peracta. Diversum est, quod in seqq. 1242 non a Cassandra fit sed ab Appolline machinatum dicitur. Alio modo Schützius vulgatam defendere studet. Fingit Cassandram primum sceptrum frangentem atque abjicientem his verbis σὲ μὲν et. et deinde etiam coronam de capite sibi deripientem (quae apud Aeschylum nulla est) ita ut subjungi possit ἴτ' ἐς φθορὸν πεσόντ'. Persuasit de eo, ut videtur, Wellauero, qui nulla emendatione opus esse declarat, quia sceptrum primum alloquatur, deinde coronas, et ni fallor G. H. quoque, qui vulgatam intactam reliquit. At vero sceptrum et vittas uno versu comprehendit, nec potest per σέ ita oratio continuari, ut pronomen ad sceptrum solum pertineat. Quod si autem fingas haec actu histrionali demonstrata fuisse, ut primum sceptrum projiciens diceret: σὲ μὲν . . . διαφθερῶ et tunc demum vittas, ut duali numero pergere possit ἴτ' ἐς φθορὸν πεσόντ' rem instituis ab arte veterum dramatica alienam. Nuspiam sibi permiserunt veteres poëtae scenici, ut ex actione histrionali supplementum et explicationem eorum repeterent, quae in verbis ambigua vel suppressa essent. Hinc ad conjecturas perveniendum. Auratus σφὲ μὲν, item Casaub. quod sequuntur Porsonus atque Schützius. Fere mirabundus dicit G. H. „Invenit (Aurati conjectura), qui eam probarent". Num dicas, viros praeclaros σφέ pro secundae personae pronomine habuisse? Eo sane opus eoque scribendum σφῶ μὲν et 1240 πλουτίζετον pro πλουτίζετε· hac forma duali usus jam Homerus Il. ο, 146: Ζεὺς σφωϊ εἰς Ἴδην κέλετ' ἐλθέμεν, quod Apollini et Iridi praecipitur.

Vexatissimus est versus sequens 1240, quo, quod minata fuit, se facturam revera facit exhibitus in codd. et a Vict.: ἴτ' ἐς φθόρον πεσόντ'· ἀγαθῷ δ' ἀμείψομαι, ita ut et sensu et anapaesto in quarto pede laboret. In conjecturarum quae huc congesta fuerunt acervo una est Schützii, qua sola loci sensui et metro consulitur: ἴτ' ἐς φθόρον

πεσόντ'· ἀγαθὰ δ' ἀμείψομαι. Nempe δὲ in sententiis hoc modo subjectis vim explicativam habet et ad particulae causalis naturam propius accedit. *Ἀμείβεσθαι ἀγαθά* est *bona bonis rependere* ut *ἄδικον ἀμείβεσθαι* Soph. Aj. Locr. fragm. I, 4: *τὸ χρύσεον δὲ τῆς Δίκης δέδορκεν ὄμμα, τὸν δ' ἄδικον ἀμείβεται,* nempe injuste vel male agentem malis remunerat. Dicit igitur cum ironia: *bona mihi attulistis, bona vobis retribuam;* quod si ad verum referas, est: me perdidistis, eoque et ipsa vos perdo. Hoc demum modo sensum habes dignitati poetae et indignationi Cassandrae congruum, a quo si recedas, necessario in interpolatorum artes delaberis.

Superest versus 1241:

Ἄλλην τιν' ἄτην ἀντ' ἐμοῦ πλουτίζετον.

In his *πλουτίζειν* eadem, qua praecedentia ironiae acerbitate dicitur. Sed „Cassandra se ipsam *ἄτην* noxam, dicit". Ita Klausenius, addens „*egregie*". Idem occinit Hauptius. Non potest tamen Cassandra semet ipsam *ἄτην* dicere nec potest esse *ἄτη* sacerdos infausta vel infausta canens. Aliud est, si v. 729 Helena *νυμφόκλαυτος Ἐρινύς* dicitur a choro, aut Ismene et Antigone *δύ' ἄτα* a Creonte ap. Soph. Antig. 539. Utrumque enim fit abominandi causa. Virgo autem se ipsam abominari non potest, deo quidem invisa, sed quae nemini nocuerit. Pejus etiam, qui *Ἄτην* majuscula scribant, quod H. Vossio accidit et aliis, quo fere *Ἐρινύν* nobis inferunt, non excepto prudentissimo et ingenioso Naeckio.

Schützius hic quoque ista et quae non commemoravimus, conamina inutilia reddidit mutatione simplicissima *ἄταις* scribendo, quam formam praecedenti *ἄλλην (τινά)* similem reddidit librarii seu negligentia seu mala sedulitas, nec erat, quare Well. declararet, eam nimis longe a librorum lectione recedere, quam ut probari possit. Ad sensum et dictionem conferas Sapphonis Od. I, 3: *μή μ' ἄσαισι μηδ' ἀνίαισι δάμνα πότνια, θυμόν.*

vv. 1242—45.

Ἰδοὺ δ' Ἀπόλλων … χρηστηρίαν ἐσθῆτ'· ἐπόπτευσας δέ με
… μετὰ Φίλων, ὑπ' ἐχθρῶν, οὐ διχοῤῥόπως μάτην.

Lectionum in *ἐποπτεύειν* diversitas eo explicatur, quod si *ΕΠΟ-ΠΤΕΥΣΑΣ* in antiquo exemplari erat, hoc *ἐπώπτευσας* et *ἐποπτεύσας* scribi potuit et augmenti damno *ἐπόπτευσας*. In praepos. paroxytono *μέτα* cum MSS. consentiant, dubium non est, quin mutatio accentus in *μετά* Victorio vel H. Stephano debeatur. — Sensus impeditus est. Si *ἐπώπτευσας* legitur, secunda persona infertur contraria tenori orationis, quae antea *ἰδοὺ δ' Ἀπόλλων* tertiam habet et mox v. 1248 *καὶ νῦν ὁ μάντις* per eandem continuatur. His si secunda interponitur, id nullam habet excusationem idoneam, quam frustra quaesiverunt Heathius, Butlerus alii. Contra si *ἐποπτεύσας* scribis, periodus absque verbo definito decurrit. — Porro *μετά* non habet, quo referatur, et si *μετὰ φίλων* jungas, incommodum est, quod praepositio versus fine a nomine separatur. Ac id quidem utcunque tolerari posset. Quid vero facias duplici praepositione *μετά* et *ὑπό*, qua admissa inter amicos et inimicos distinguitur, cum tamen ab utrisque aequali modo irrisa et proculcata fuerit? In tantam enim miseriam delabi non potuisset, si ab inimicis solis iniqua perpessa fuisset. Accedit duorum adverbiorum *οὐ διχοῤῥόπως, μάτην* improspera copulatio. *Διχοῤῥόπως* dictum de trutina, quae *δίχα ῥέπει*, et ad res ambiguas et dubias indicandum transfertur. Esset igitur utrumque „*haud ambigue temerarie*", quae adverbia si *separatim* posita intelligas, sese tollunt; nam quod *οὐ διχοῤῥόπως* est, non est temerarium; si jungas, in unam notionem non coeunt, nisi statuas, *διχοῤῥόπως* addi alteri *μάτην*, ut sit non *dubie*, sed *aperto temerarie* factum, quod causam et rationem habet nullam. Neque ad Apollinem referri potest, cujus iram quidem et vindictam Cassandra incusat, non vero temeritatem. Non mirum igitur, quod poëtae succurrere studuerunt conjecturas tentando aut vocabula in diversas structuras detorquendo

nullo, ut mihi quidem videtur, successu. G. Hermannus in scholis et ad Humboldtii versionem *μέτα* in *μέγα* mutabat, idque cum *καταγελωμένην* jungebat, sed *μέγα καταγελᾶσθαι*, si usum graecum habet (nam dici posse non dubium est), huic loco non aptum est, in quo verbum *καταγελᾶσθαι* addito imprimis *ὑπ' ἐχθρῶν*, nude positum efficaciam habet majorem, quam inutili adverbio oneratum. Accedit, quod eo admisso *φίλων ὑπ' ἐχθρῶν* uno ordine sese excipiunt sine sensu, nisi *ὀξυμόρου* speciem statuas, quo amici inimici appellentur, de quo statim dicendum erit. Hoc vitium ut tollerent, auxilium ab interpunctione quaesiverunt. Victorius, Flor. ni fallor secutus, distinguit *καταγελωμένην μετὰ φίλων, ὑπ' ἐχθρῶν, οὐ διχοῤῥόπως μάτην*. Blomf. qui *μετά* in textu servat, tollit comma post *ἐχθρῶν*, ut coire possint *ὑπ' ἐχθρῶν οὐ διχοῤῥόπως*. Sequitur hanc juncturam Weilauerus, qui Hermannianum *μέγα* recepit, sed comma post *ὑπ'* transtulit, ut *φίλων ὕπο* et *ἐχθρῶν διχοῤῥόπως* jungi possint. Ipse vertit: „*qui vidit me hoc ornatu irrisam inepte ab amicis, qui haud ambigue inimici erant*. Jam vero doceri debuisset, haec inanis circumlocutio in re minime dubia quid sibi vellet. Nam si amici miseram derident, illi sane non amici sunt, nec opus erat, inimicos apertos eos appellare. Eadem junctura voces *καταγελωμένην μέγα μάτην* copulat, adverbiumque inutile adverbio incongruo onerat. — Denique G. H. in Adnott. non *μετά* tantum in *μέγα*, sed *μάτην* quoque in *ματήρ* mutat, usus glossa Hesych. *ματήρ· ἐπίσκοπος, ἐπιζητῶν, ἐρευνητής* additque „nescio an ex hoc ipso loco, sicut alibi Aeschyleas glossas habet". Sensum constituit hunc: Nam quod me hoc quoque in ornatu valde derisam ab amicis inimicis conspexit, non ambigue ejus ornatus vindex est. *Ματήρ* si *ἐπιζητῶν* et *ἐρευνητής* significavit, ejusdem est radicis ac *μαίεσθαι*, quo utitur Aeschyl. Choeph. v. 775 *εὖ μαιομένοις* multum desiderantibus et *μαῖα* Choeph. v. 43 *ἰώ, Γαῖα μαῖα* ac ipsa *ματήρ* et reduplicata syllaba *μαιμᾶν* vehementi cupiditate flagrare, furere. Est igitur vox utraque syllaba longa. Neque significatio loco congrua. Ac G. H. quidem relicta ea, quam glossa Hesych. et etymo-

logia voci tribuunt, **vindex** vertit prorsus arbitrarie et, hoc si concedas, quomodo vindex ornatus dici poterit deus, qui ejus irrisoribus interest? Num haec quoque ironice dicta statuas? prius recte dicta esse doceri debet quam ironice dici contendas. Suspicor autem subesse errorem et pro vindex index eum scripsisse. *Ἐποπτεύειν* autem non est simpliciter videre, sed cum studio juvandi aliquem contemplari. Id ipsum vero fieri potest, attente si intucaris eum, ut v. 1560: *Φαίην ἂν ἤδη νῦν βροτῶν τιμαόρους θεοὺς ἄνωθεν γῆς ἐποπτεύειν ἄχη* Choeph. 1059 *καί σ' ἐποπτεύων πρόφρων θεὸς φυλάσσοι καιρίοισι συμφοραῖς*, sive rem, quae dum spectas tibi grata et jucunda videatur, ut h. l., ubi agitur de virgine, quam invisam ab inimicis derideri non sine gaudio vidit Apollo. Hinc scribendum judico:

Ἰδοὺ δ' Ἀπόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμὲ
Χρηστηρίαν ἐσθῆτ'· ἐποπτεύσας δέ με
Κἀν τοῖσδε κόσμοις καταγελωμένην μετὰ
Φίλων ὑπ' ἐχθρῶν οὐ διχοῤῥόπως μετῆν.

Καὶ in *κἀν τοῖσδε κόσμοις*, etiam in hoc ornatu, auget indignitatem Apollineae iracundiae, cum deus, dummodo proculcatae virginis spectaculo frueretur, non curaret simul cum ea ornatum quoque sibi sacratum contemptui haberi. — *Μετὰ φίλων μετῆν* duplicata praepositione, commodius sane legeretur *παρῆν*, sed cum integri versus ambitu separata sit altera ab altera praepositio, utriusque junctura offensionem non habet.

Structura: *ἐποπτεύσας δέ με καταγελωμένην ὑπ' ἐχθρῶν οὐ διχοῤῥόπως μετὰ φίλων μετῆν*. Sensus: *Ecce vero Apollo ipse mihi sacerdotalem ornatum exuit, qui idem cum gaudio me spectans, dum ab inimicis deridebar, non dubie cum amicis adfuit seu interfuit huic spectaculo.* Et si nexum internum spectas, dicit: *Non mirum, si nunc*

praesens est et ipse mihi ad caedem iturae ornatum hunc exuit, quippe qui et olim, cum ab inimicis irriderer, haud dubie interfuerit, ut simul cum amicis eo spectaculo frueretur. Amicos intelligit cognatos et agnatos, hosque ait interfuisse, non ut arcerent injurias sed quod pro spectaculo eas haberent et inter hos Apollinem haud dubie praesentem fuisse, ut eo spectaculo frueretur.

Patet autem, ita a poeta institutum fuisse scenicum sacerdotis apparatum, ut dum sceptrum projiceret et taenias de capite deriperet, palla sacerdotalis illa exterior et largior sponte ad virgines pedes deflueret, quod fibula super utrumque humerum soluta fieri poterat. Hoc ipsum vero vim poëticam actionis mirifice auget, quod ipse deus praesens introducitur, qui virgini vestem detrahat eamque hoc modo velut hostiam sacrificio praeparet. His ita expositis patet, seqq. arctius cohaere, quippe quibus describit, quas injurias ab inimicis amicis tacentibus, quin et spectantibus perpessa fuerit.

vv. 1246—47.

Καλουμένη δὲ φοιτὰς ὡς ἀγύρτρια,
Πτωχὸς τάλαινα λιμοθνὴς ἠνεσχόμην.

Haec est Victorii interpunctio alterius versus, tria epitheta sine inciso continuans. Haeret structura, si quod usus suadet, *ἠνεσχόμην καλουμένη* jungas, *„nominata perferebam“*, perferebam me nominari; non quod de structura dubitari possit, ad quam Blomfieldius contulit Soph. Philoct. 44. *Αἴας ὁ μείζων τοῦθ' ὁρῶν ἠνείχετο,* Electr. 1017 *ἀνέξομαι κλύουσα,* sed propter cumulum et relationem quinque praedicatorum. Cum enim comparatio per *ὡς* inferatur, quaeras, quaenam directe ad Cassandram pertineant *καλουμένη δὲ φοιτάς, ὡς ἀγύρτρια,* an *καλουμένη δὲ, φοιτὰς ὡς, ἀγύρτρια,* an denique *φοιτὰς ὡς ἀγύρτρια.* Horum quidquid admittas, reliqua praedicata *πτωχός, τάλαινα, λιμοθνής* ad

Cassandram redeunt tanquam pars convitiorum ab inimicis in eam collatorum contra orationis consilium et tenorem. Nam *λιμοθνής* poterat quidem nominari regia virgo, utpote *πτωχός, τάλαινα,* sed non in opprobrium ab inimicis. Nemini enim in turpitudinem vertitur, si fame perit, sed illis potius, imprimis vero amicis, qui eum sic perire sinunt. Wellauerus structuram ita ordinat *καλουμένη δὲ φοιτὰς, ἠνεσχόμην πτωχὸς, τάλαινα, λιμοθνὴς οὖσα,* improspero successu. Ita enim *καλουμένη ἠνεσχόμην,* quae natura structurae cohaerent, dirimuntur neque ex ea causa, quod *φοιτάς* dicebatur, mendicae vitae et fami fuit exposita, quod ex hac junctura sententiarum sequeretur.

Aliam dubitationem movit Elberlingius, dum interpretes miratur, qui sibi persuaserint, regiae virgini stante adhuc patria periculum fuisse, ne fame moreretur. Id ne fiat, comparationi quatuor reliqua praedicata includit ut omnia jam non ad Cassandram, sed ad circumforaneae descriptionem pertineant. Obloquitur G. H. cui *τάλαινα* de circulatrice dictum „misero languet". De ipsa autem Cassandra si accipiatur, monet alieno loco positum esse et verba hoc ordine debuisse poni *ὡς πτωχὸς λιμοθνὴς ἀγύρτρια.* Gravioris momenti est, quod addit, sic Cassandram de se parum, de circulatrice autem supervacanea praedicare. Nec tamen e circulo vitioso progreditur. Nam ut *τάλαινα* ad Cassandram pertinere possit, ita distinguit *φοιτὰς ὡς ἀγύρτρια πτωχὸς, τάλαινα* et interpungit ita ut enumerentur convicia in Cassandram congesta, qualia jaci in circulatrices soleant. *Sustinui misera, quasi circulatrix, vocari insana, mendica fame peritura.* Hoc modo revolvimur ad convicia illa, quae modo ut absona, rejecimus, si cum respectu ad Cassandram comparationi ingeruntur. Accedit, quod sic ne vitatur quidem incommodum, quod Elberlingius monstrare voluit. Ceterum non est, quare talem statum ejus, quem verba, utcunque vertas, testantur non admittamus. Molestam, quin formidolosam civibus fuisse virginem, cui dira omnia praedicenti nemo fidem haberet, non debet mirum videri. Quid contra eam instituerint

populares, de eo quidem diversa fama vulgabatur post Homerum, qui de ea nihil nisi honorifica refert. Sed posteriorum famam Lycophon testatur, dum monstrat Cassandram a Priamo turri inclusam, in qua *ἄσπετον χέασα παμμιγῆ βοὴν Δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα* v. 5 coll. Tzetz. in Praef. ad Schol. in Lycoph. p. 268 ed. Müller. Quod si igitur pater ipse eam ut furiosam carcere coercuisse apposito custode perhibebatur, quidni diversa fama tanquam talis instigante deo suis spectaculo fuisse et ad circumforaneam vitam coacta narrari poterat, quod factum esse ipsa apud Aeschylum queritur? Nimium sane curiosi vel operosi sunt, qui hujusmodi fabularum libertatem certis finibus includere nituntur. Jam vero cum *καλουμένη ἠνεσχόμην* nullo modo cum praedicatis salva sensus concinnitate conjungi possint, non dubium, quin recte judicaverint, qui de mutanda lectione cogitaverunt. Proposuere *κακουμένη* Tyrwittus, Musgravius et G. H. in scholis, qui in Adnott. addit: „Nec profecto male id scriberetur", sed multo fortior loci ἐνέργεια requiritur. — Spanhem. et Blomf. *φοιβάς* servato *καλουμένη*, quo difficultas non removetur. Quid tenor et nexus orationis requirat, perspexit Heathius, dum *κἀλωμένη* proponeret, modo *ἀλωμένη δὲ* scribas ne poetae insolita particularum *καὶ . . . δὲ* junctura inferatur. *Φοιτάς* si sensum genuinum spectas cum insectatione dici non potest. Hujusmodi enim nomina, qualia sunt *φοιτάς, δρομάς, Θυάς, λυσσάς, φοιβάς, μαινάς,* ab Hauptio allata, nihil probrosi continent, sed actionem, quae verbis, a quibus derivata sunt, indicatur, referunt cum quadam intensione et efficacia sensus conjunctam. Ita si qua *Βακχὰς, Μαινάς* dicitur, id nihil acerbitatis et indignitatis continet, sed naturam harum bacchici furoris plenam indicat. Idem valet si *ἀγύρτρια*, quaecunque sit, *φοιτάς* dicitur. *Ἀγύρτης* est, qui egenus mendicando stipem sibi colligit, isque si *φοιτάς* huc illuc commeat, fit hoc ut verbo justo vitae ejus ratio indicetur. Aliud esset, si ipsa Cass. *φοιτάς ἀγύρτρια* audisset. Nam tum contumelia esset in voce *ἀγύρτρια*. Accedit, quod non sua sponte discurrebat, ut vagae solent mendicae, aut a deo coacta, sed ad vagandum

cogebatur demum cum amicis molesta et invisa aedibus eorum arceretur. Notandum praeterea, jam in praecedentibus de ludibrio Cassandrae actum fuisse. Debebat ut recte progrederetur oratio, ad ea jam pervenire, quae ex illo contemptu sequebantur. Itaque structura erit: *ἀλωμένη δὲ φοιτάς, ὡς ἀγύρτρια, πτωχὸς, τάλαινα, λιμοθνὴς ἠνεσχόμην.* Patet in his omnia apposite dici et interiori orationis nexui praeclare congruere. Neque amplius cum Wellauero ad *λιμοθνὴς οὖσα* intelligemus; uno enim ordine cohaerent *ἀλωμένη, . . . πτωχός . . . ἠνεσχόμην.* Circumvagata instar mendicae summam misera paupertatem atque famem perpessa sum.

vv. 1248—51.

Καὶ νῦν ὁ μάντις — φοινίῳ προςφάγματι.

Μάντιν ἐκπράξας ἐμέ. Schütz.: vatem me *ulciscens.* Ac notum sane *πράσσεσθαί τινά τι* esse *exigere aliquid* ab aliquo u. c. mercedem, poenam, ultionem ut Pind. Olymp. 1, 28 sqq. *πέφνε δ' Εὔρυτον, ὡς Αὐγέαν λάτριον ἀέκονθ' ἑκὼν μισθὸν ὑπέρβιον πράσσοιτο* i. e. *ὡς Αὐγέαν ὑπέρβιον μισθὸν λάτριον πράσσοιτο,* item *εἰςπράσσεσθαι* et, ni fallor, etiam *ἐκπράσσεσθαί τί τινα,* nequaquam vero *εἰςπράσσειν τί τινα,* nedum *ἐκπρᾶξαι.* Id est *efficere* ut Pers. v. 709: *Καὶ τόδ' ἐξέπραξεν, ὥςτε Βόσβορον κλεῖσαι μέγαν,* et metaphorice dictum pro *conficere, interimere* Soph. Oed. Col. 165 *οὐ γάρ τις αὐτὸν . . κεραυνὸς ἐξέπραξεν.* Hinc vertendum: *posteaquam vates vatem me confecit i. e. miserrimam fecit et quasi exinanivit.* — Ad *ἀντ' ἐπιξήνου,* quod Cantero debetur pro *ἀντεπίξηνον* quaeri potest, quo pertineat h. l. arae paternae commemoratio, pro qua truncus lanionis ipsi reservatus sit. Nempe aedes Pelopidarum aedibus Priamidarum opponit. In illis nata et educata erat velut ad aram paternam, quae et tutelae et caritatis notionem includit. Huc vero delata nihil tale, sed caedem crudelem *ἐπίξηνον ἀντὶ βωμοῦ πατρῴου* invenit. Porro Auratus pro *κοπείσης* scripsit *κοπεῖσαν,* Abresch. *κοπείσῃ,* quod Porsono

probatum, sed habet aliquid inconditi genitivus, cum *ἐμέ* praecedat. Wellaucrus monet *κοπείσης* esse genitivum absolutum omisso *ἐμοῦ*, ut v. 1137: *δυσαλγεῖ τύχᾳ μενυρὰ θρεομένας* sc. *σοῦ*. Sed quaeritur genitivus absolutus seu potius temporalis num hic locum habere possit, ubi arctius cum *μένει* junctus est: *manet me truncus ille, quo tempore mactabor*. Nimirum *jam nunc* eam manet vel *exspectat*, nec demum si mactatur. Nec *θερμῷ* .. *φοινίῳ προςφάγματι* offensione carent. Integram formam *προςσφάγματα* requirunt Casaubonus atque Schützius jure. Est autem *πρόςσφαγμα* mactatio Agamemnonis *σφάγματι* additum, ut factum fuisse narrat Clytaem. v. 1421. Jam de sensu; ambiguum ait G. H. *προςφάγματι*, utrum *mihi victimae* an *percussae iracunda crudeli mactatione significet* addens: „Hoc posterius malo. Eurip. Troad. v. 624 *αἰαῖ, τέκνον σῶν ἀνοσίων προσφαγμάτων*". Neque *θερμῷ iracunda* esse potest in loco, qui mactationis momentum *ἐπίξηνον* et *κοπεῖσαν* exhibent et *„percussa calida cruenta mactatione"* nimia dictionis ubertate laboraret. Hinc Schützius *θερμόν* proposuit. Propius ad rem et efficacius erit, si legis:

θερμῷ κοπείσης φοίνιον προσφάγματι

cruentum calida percussae mactatione.

vv. 1252—56.

Οὐ μὴν ἄτιμοί γ' ἐκ θεῶν τεθνήξομεν
κάτεισεν .... ἄτας τάςδε θριγκώσων φίλοις.

Ἐκ θεῶν dicit, quia ad vindictam illam exigendam Orestes a diis excitatus fuit, non Apolline solo, sed Jove etiam, cujus in hac quoque causa interpretem se fuisse declarat ipse Apollo Eum. 586 seqq.: *Οὐπώποτ' εἶπον κ. τ. λ.* — *Ἄτας τάςδε θριγκώσων φίλοις.* — *Θριγκός murorum culmen* vel *γεῖσον*, pinnacula seu pinnae, unde *θριγκοῦν* h. l. ad calamitates translatum indicat: *maximum et ultimum facinus prioribus addet*, maximum, quia matricida, ultimum, quia cum

Orestis facinore longa illa caedium series, quas Clytaemnestra v. 1557 ἀλληλοφόνους μανίας nominat, terminabatur in Pelopidarum prosapia. Hinc additur φίλοις cum respectu ad universam gentem. Nulla igitur causa, quare cum Heathio Θριγκώσων φίλοι legamus.

v. 1258.

Ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.

Vulgo sese excipiunt versus κάτεισιν ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις Ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός, contra ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας post 1263 Ἰοῦσα πράξω, τλήσομαι τὸ κατθανεῖν removetur. Cum vero ἄξειν, quae Florentina est lectio a Victorio recepta structuram rumpat, inde orta sunt diversa interpretum conamina. Sed his intercessit Schützii et G. Hermanni sagacitas, qui perspexere, versum ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας ei, quem in Codd. excipit ἰοῦσα πράξω τλήσομαι τὸ κατθανεῖν non recte tanquam causalem subjungi. Itaque Schützius eum post v. 1258 ἄξει νιν κ. τ. λ. collocavit, G. Hermannus autem in not. ad Hecub. et in dissert. de versibus spuriis ap. Aeschylum p. VII (Opusc. II, p. 80) eidem praefixit:

Ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας·
ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.

G. Hermanno, ut ipse ait, obsequuti sunt novissimi editores ut in re apertissima. Apertissima est mala versuum dispositio, non item correctio ab eo et a Schützio adhibita. Schütziana eo laborat, quod ἄξει νιν prioribus sine copula subjungitur, utraque communi vitio hoc, quod quatuor versus praecedentes 1253—56 ἥξει γὰρ ἡμῶν ... Μητροκτόνον φύτευμα ... φυγὰς δ' ἀλήτης ... Κάτεισιν κ. τ. λ. non interrupti continuantur contra apertum poëtae consilium. Is enim posteaquam in duobus prioribus ἥξει γὰρ ... ποινάτωρ πατρός rem eventuram indicasset, ejus rei rationem et eventum φυγὰς δ' ἀλήτης . . θριγκώσων

πατρί indicare debuit. At vero hic ordo in re ipsa positus pervertitur eo, quod juris jurandi commemoratio i. e. res principalis ad finem velut *ἐπεξήγησις* relegatur. Non igitur dubium, quin versus turbati hoc ordine sese exceperint:

Ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος,
Πατροκτόνον φίτυμα ποινάτωρ πατρός.
Ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας
Ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.
Φυγὰς δ' ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος
Κάτεισιν ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις.

Nec debei offendere *πατρός* uno versu interposito repetitio, ut in nomine, in quo vis primaria sententiae nititur.

Ceterum notat J. Franzius: „Suspicatur Kirchdorfius, versum in Crameri Anecd. Oxon. I, p. 88 s. v. „*ἄραρεν*" citatum *ἄραρε γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας*" ad hunc Aeschyli locum referri posse". Verba Grammatici haec sunt: *ΑΡΑΡΕΝ· ἄραρε γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας.* Ad illustrandum laudantur Il. *α*, 136 *ἄρσαντες κατὰ θυμόν*, Od. *κ*, *φρεσὶν ἦσιν ἀρηρώς* et Il. *ε*, 725 *χάλκε' ἐπίσσωτρα, προσαρηρότα.* Est igitur eadem metaphora ad *ὅρκον* translata, qua is v. 1171 *πῆγμα γενναίως παγέν* dictus fuit, potuitque vulgata nunc lectio e glossa *ἄραρε· ὀμώμοται* in textum transferri. Versus ut firmo pede consistat, scribi debet:

ἄραρε γάρ τοι πρὸς θεῶν ὅρκος μέγας.

Sed hi *στοχασμοί* sunt.

vv. 1259—62.

Τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὧδ' ἀναστένω,
ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν
πράξασαν ὡς ἔπραξεν· οἳ δ' εἶχον πόλιν,
οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει.

Κάτοικος, si *κατοικεῖν inhabitare, incolere* conferas, nihil significare potest nisi *incola*, et hoc sensu vox occurrit primum, quod scio ap. Arist. Oec. II, 33: *οἱ δὲ ἱερεῖς καὶ οἱ κάτοικοι εἰςενέγκαντες χρήματα ἔδωκαν.* Nec tamen doceri poterit, neque quare se incolam dicat virgo modo advecta, neque cujusnam aut domus aut urbis incolam, nec quo consilio id faciat. Frustra vulgatam defendere nisi sunt Schützius et Klausenius. His opposita larga conjecturarum series. Nexum si spectas, habet *κάτοκνος* a Wakefieldio propositum quo commendetur. *Cunctatur sane, κατοκνεῖ*, ante aedes et apertum est, in hujus cunctationis causis poni a poëta etiam metum mortis in aedibus imminentis. Nam nonnisi in sequentibus animum contra hos terrores munit. Conferas etiam, quod animo confirmato et consilii sui potens v. 1289 dicit. *Οὔτοι δυςοΐζω θάμνον ὡς ὄρνις φόβῳ.* Nimirum illam ipsam animi constantiam nunc quaerit et reputando Trojae et Atridarum sortem invenit, quo facto in verba desinere poterat v. 1263 *ἰοῦσα πράξω, τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.* Huic igitur interiori sententiarum nexui prorsus respondet *κάτοκνος*. Monendum tamen, eam vocem, quamquam analogiam habeat, a vulgato linguae usu nimium recedere. Hinc equidem *πάροικος* scribere *juxta aedes* non dubitem, quod Bourdonetus ad marg. Ask. posuit. Voce usus jam Thucyd. quamquam de sede fixa III, 113 fin. *μὴ οἱ Ἀθηναῖοι ..., χαλεπώτεροι σφίσι πάροικοι ὦσι.* Jam *πάροικος* esset idem quod *παρ' οἶκον.* Possis sane, cum nec *incola* nec *accola* sit, requirere *παρ' οἶκον.* Sed cum *πάροικος* non separatim ponatur, verum *πάροικος ἀναστένω*, patet hoc eodem redire: *Quidnam hoc modo juxta aedes queror*, nimirum cunctando et ingressum vitando, quod e nexu facile intelligas. Inde jam sequitur, in seqq. *ἐπεὶ τὸ πρῶτον* ... causas contineri, quare non amplius juxta aedes morari, sed ad sortem impigre obeundam ingredi tandem debeat. Ejus autem constantiae induendae causas commemorat duas, quarum prima est, quod patriam vidit perpessam, quae perpessa sit, *πράξασαν ὡς ἔπραξεν* i. e. *κάκιστα* vel *δυςτυχέστατα πράξασαν*, captam nimirum

et direptam. Simili modo *πράσσειν* adhibitum Soph. Oed. Col. 262 (Elmsl. v. 271) *εἰ φρονῶν ἔπρασσον οὐκ ἂν ὧδ' ἐγιγνόμην κακός.* Sensus igitur: Ei qui patriae ruinam et suorum interitum pertulit, vita tanti pretii videri non potest, ut de ea perdenda multum queri debeat. Altera causa inest verbis: *οἳ δ' εἶχον πόλιν ... κρίσει.* Credas *οἳ δ' εἶχον πόλιν* esse urbis ejus incolas, nempe Trojanos ut creberrimo usu apud Homerum Il. *β*, 546 *οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον,* 559 *οἳ δ' Ἄργος τ' εἶχον Τίρυνθά τε* alia. Sed de Trojanis jam in praecedentibus verbis actum, nunc de rege Agamemnone, qui utpote praecipua persona hic, quamvis plurali numero adhibito, inprimis respicitur. Nec tamen *οἳ δ' εἷλον πόλιν* cum Musgravio scribendum. Nam e nexu patet, *εἶχον* de urbe capta i. e. hoc ipso sensu dici, quo dictum v. 311 *Τροίαν Ἀχαιοὶ τῇδ' ἔχουσ' ἐν ἡμέρᾳ.* Sensus igitur: qui vero urbe potiti erant, seu urbem captam tenebant; *hi sortem tam infaustam nanciscuntur.* — *Ἀπαλλάσσουσιν* autem forma activa, ut Herod. I, 16: *ἀπὸ τούτων οὐκ ὡς ἤθελε ἀπήλλαξε.* — *ἐν θεῶν κρίσει.* Deorum judicium non jam erit, quod de Troja habuisse dicuntur antea (nam in eo Troja dicebatur damnata ob culpam Paridis a populo defensam) sed in quo de sorte Agamemnoni, Trojae victori destinata, actum est. Ut igitur Trojanorum internecio antea, ita et Atridarum mala ad deorum judicium revocantur ob scelera in ipsa gente commissa. In luenda culpa Atrei deorum voluntatem conspici per omnem tragoediam aperuerat poëta; ad eandem voluntatem revocatur Clytaemnestrae per filium caedes, ipso deorum jurejurando commemorato, quo decretum eorum de ea caede sancitum sit. Jam utraque causa exposita fit conclusio prioribus conveniens.

v. 1263. *Ἰοῦσα πράξω, τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.*

Si *πράξω* omittas, sensus est: Ingressa, nempe in aedes mortem in illis mihi imminentem tolerabo. Sed explicatio in hoc ipso vocabulo haeret: Id si sanum est, debebat ad *κακῶς πράξω* aut simile quid

referri, quae fere sententia est Wellaueri dicentis: „*πράξω* eodem sensu dictum est, quo v. 1261 (1239) et ad eum forsitan respicitur". At vero *πράξασαν*, ut monuimus, non est simpliciter positum, sed addito *ὡς ἔπραξεν* circumlocutionem contineat, qua simplex *δυστυχῶς* vel *κακῶς πράξασαν* mirum in modum augetur, nec uspiam *πράσσω* de fortuna aut mala aut bona adhibetur, nisi id ipsum aliquo adverbio aut alio praedicato indicatum fuerit, quod h. l. non obtinet. Non mirum igitur, si ad locum constituendum conjecturis usque ad hunc diem interpretes decertaverint. His tamen supersedere possis, si notionem quae requiritur verbis *τλήσομαι τὸ κατθανεῖν* inesse statuas. Cum enim *πράξασαν ὡς ἔπραξαν* praecedit, pergere potuit *ἰοῦσα πράξω ὡς ἐκεῖνοι ἔπραξαν* quod cum poeticae dictioni non congrueret, post *πράξω* interrupta sententia alio vertit dictionem et id quod supererat, velut de novo incipiens infert *τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.* Inde articulus pendet. Nam *τὸ κατθανεῖν* ipsum est *τὸ μόρσιμον*, quod exspectat et ad quod subeundum parita est. De reliqua hujus scenae parte pauca eaque succincte monabimus.

v. 1264. *Ἅιδου πύλας δὲ τάσδ' ἐγὼ προσεννέπω.* Recepta hic Aurati correctione pro *τὰς λέγω* sequitur Orci portas *hasce*, ad Atridorum aedes pertinere. Neque eas tanquam rem divinam invocat, sed hoc unum precatur, ut *καιρία πληγή* sit, quae mortem ferat eoque dolores celeriter finiat.

v. 1220 *πῶς θηλάτου Βοὸς δίκην πρὸς βωμὸν εὐτόλμως πατεῖς.* Sine causa Schützius de bucola cogitat, quae Cadmo locum, ubi Thebae condendae essent, quaerenti viam monstrasse ac deinde ab eo immolata esse dicebatur, et loco male intellecto ad illam retulit quod in universum valet. Vacca enim, quaecunque ea sit, si ad aram non reluctando, sed mansueta accedit, hoc videtur non sine instinctu dei, cui sacrificio destinata est, facere, ne scilicet, dum ipsum numen sacrificanti propitium

est, hostia recalcitrando malum omen faciat. Procedit igitur a deo acta *θεήλατος πατεῖ.* Sed non potest dici eadem *εὐτόλμως πατεῖν.* Id igitur extra comparationem cadit et ad solam Cassandram pertinet. Si, quod vacca inscia futuri facit, ipsa sortis suae gnara facit, id nonnisi ex animo periculis majore nec nisi *εὐτόλμως* fieri potest. Porro non ad aram *πρὸς βωμόν* accedit Cassandra, falsumque est, quod Stanlej. contulit, pertinere hoc posse ad aram Jovis Hercei, ad quam interfecti Agamemnon et Cassandra fuerint. Nam Agamemno lavacro finito percussus, locus autem, quo Cassandra percussa sit, in hac tragoedia non traditur. Cassandra igitur non *πρὸς βωμόν*, sed ad aedes *πρὸς δόμον*, et *πρὸς σφαγεῖον* vel *ἐπίξηνον* progreditur, quod infra ipsa monet. Itaque *πρὸς βωμόν* quoque ad vaccam solam spectant et cum *βοὸς δίκην* cohaerent. Inest concisa dicendi ratio, quam si interpositis, quae e nexu intelligi debent, plenam reddis, ordo structurae ita procedit: *πῶς εὐτόλμως πατεῖς πρὸς οἶκον τοῦτον δίκην βοὸς θεηλάτου πρὸς βωμὸν πατούσης ἢ πορευούσης ἡσύχως. Πῶς* autem dixit; est enim: quomodo fieri potest, ut ct.

vv. 1272—77.

Οὐκ ἔστ' ἄλυξις οὐ ξένοι χρόνῳ πλέω.

Inutili repetitione negationis Casaubonus mutata tantum orthographia liberavit scribendo *ὦ ξένοι.* Sed difficultatem habet explicatio clausulae *χρόνῳ πλέω* Farn. *πλέῳ.* Utraque forma comparativi contracta, illa ex *πλέονα*, haec ex *πλέονι* neque habent, quo pertineant. Hinc multus interpretum labor sed infructuosus, *χρόνῳ πλέων, χρόνῳ πέλει, χρόνον πλέω* proponentium. Sane *πλέον* et *πλέων* ad lectionem quae prisca orthographia *ΠΛΕΟΙ* fuit, proxime accedunt, et *πλέων* modo recte intelligatur loco optime convenit. *Χρόνῳ* cum respectu ad Cassandram dictum est ac *χρονιζούσῃ* vel *μελλούσῃ ἐμοί* et si dictio ad simplicem formam revocetur, erit *οὐκ ἔστιν, ὦ ξένοι, ἄλυξις πλέων μελλούσῃ ἢ*

στειχούσῃ ἐμοί. His via munitur ad recte intelligenda quae sequuntur v. 1273 *Ὁ δ' ὕστατός γε τοῦ χρόνου πρεσβεύεται,* in quibus priores turbae fere redeunt. Post irrita aliorum conamina G. H. sensum dicti sic expressit: „*ὁ δ' ὕστατος γε τοῦ χρόνου μακαρίζεται,* ultimus antefertur propter delationem". Haud scio an recte. Si *τοῦ χρόνου* dicitur cum respectu ad *οὐ πλέων χρόνῳ ἄλυξις* eo, quo monuimus, sensu, necessario in responsione et ipse *χρόνου* cum *ὕστατος* cohaeret et *ὕστατος τοῦ χρόνου* erit, „qui ultimus temporis est, qui quoad tempus ultimus, seu tam sero, quam fieri potest, accedit. Subest, ni fallor, tecta comparatio. Nam *πρεσβεύεσθαι* est tamquam primum, seu primo loco honorari ut Eum. 21: *Πολλὴ πρόνοια δ' ἐν λόγοις πρεσβεύεται,* cum respectu haud dubie ad victores in certaminibus, in quibus ut v. c. in cursu *ὁ πρῶτος τοῦ δρόμου* coronatur, in hac quidem de mortis periculo concertatione vice versa *ὁ ὕστατος τοῦ χρόνου* praemio ornatur i. e. siquidem moriendum, optima ejus conditio, qui postremus ad mortem accedit seu mortem tam diu differt, quam fieri potest.

v. 1281. *τί τοῦτ' ἔφευξας; εἴ τι μὴ φρενῶν στύγος.* Particulis *εἰ μή* nullus hic locus. Nam praeter rem abominandam menti ejus objectam aliae quoque suspiriorum caussae cogitari possunt. Scribendum *ἦ τι μὴ φρενῶν στύγος;* ut sit interrogatio cum assevecatione; es ist *doch nicht* (wie ich fürchten muss) ein Gegenstand des Abscheues, der dich dazu nöthiget? Cf. Odyss. *τ*, 405 *ἦ μή τίς σευ μῆλα βροτῶν ἀέκοντος ἐλαύνει; ἦ μή τις σ' αὐτὸν κτείνει δόλῳ ἠὲ βίηφι*

v. 1290.

Οὐ τοι δυσοίζω θάμνον ὡς ὄρνις φόβῳ ...,
Ἀλλ' ὡς θανούσῃ μαρτυρεῖτέ μοι τόδε.

Locus male intellectus eoque conjecturis vexatus. *Δυσοίζω φόβῳ* idem valet ac *φοβοῦμαι.* Non timeo nempe intrare aedes, ut avis vin-

gultum. Pro *ἀλλ' ὡς* G. H. *ἄλλως* contra sensus tenorem. Non enim dici potest, *frustra* timere aviculam sed illa quiddem justo timore motu prudenter et circumspecte agit. Nec possunt seqq. *ἀσυνδέτως* addi. Recte igitur Orellius *ἀλλ' ὡς θανούσῃ μαρτυρῆτε.* In hoc ultimo enim vitae momento idem curat Cassandra quod in tota scena repetitis vicibus egerat, ne mendax et fraudulenta a choro habeatur. Eo igitur spectat *τόδε istud ipsum*, quod nempe animo habet. Praedicit enim venturum sibi et Agamemnoni ultorem, idque nunc addito Aegistho repetit ejusque vaticinii veracitatis testimonium petit tunc cum id eventum habuerit. Non directe respondet chorus v. 1294, sed ita tamen, ut miserationem fatidicae ejusque sortis eloquatur, quod testimonium propensi animi est et parati ad obsequendum virginis deliderio: *ὦ τλῆμον, οἰκτείρω σε θεσφάτου μόρου.*

vv. 1295—1303. *Ἅπαξ ἔτ' εἰπεῖν ῥῆσιν ἢ θρῆνον θέλω ἐμὸν τὸν αὐτῆς — καὶ ταῦτ' ἐκείνων μᾶλλον οἰκτείρω πολύ.*

Offendunt in *ἢ* et *ὁμοῦ* injuria, meliore jure in *φονεῦσι.* — Ad *ῥῆσιν ἢ θρῆνον* G. H. notat, quaerendum fuisse, ecquem qui poëta esset tam *languidam ac plane stultam* verborum consocietionem, quam illud *ῥῆσιν ἢ θρῆνον* indicat, non puduisset? Ad vers. Humb. proposuit *ῥύσιον θρῆνον* et in Adnott. contra Blomfieldii dubitationem de sensu monet id se *vindicem* questum intelligere voluisse. Idem tamen mutata sententia *ῥῆσιν οὐ θρῆνον* scribit, idque facillimum et aptissimum declarat. Contra Schoemamus vir praeclarus in nupero programmate de Agamemnone Aeschylea p. 6 *ῥῆσιν ὡς θρῆνον.* Neutro opus. Nam *ἢ* h. l. non disjunctivam habet vim, sed explicativam estque semet ipsum corrigentis particula. Integra dictio *μᾶλλον* addi postulat, sed hanc omitti posse exemplum docet, quod concinae Joh. Fr. affert, Sophicl. Antig. v. 60 *ψῆφον τυράννων ἢ κράτη παρέξιμεν.* Non enim tam judicium (*ψῆφον*) quam tyranni violentiam (*κράτη*) nominandam dicit sibi et sorori timens

Ismene. Hinc ratio verborum *ἐμὸν τὸν αὐτῆς* patet. Nam *θρῆνον*, plerumque ad sepulchrum defuncti dicunt, dum *θρηνῳδίαν* canunt. Nunc autem viva eam dicit sibi ipsi Cassandra, seu dicere iam desinit, vindictam sui precando et sortem humanam lugendo. Non melius agunt, qui *τίνειν ὁμοῦ* tentant, Auratus qui *ὁμὰ* (pro *ὁμῶς* simili modo), G. Hermannus qui *ἐμοῦ* scripsit, quo post *ἐμοὺς* et *ἐμοῖς* addito, loco cumulus ejusdem vocis infertur vix tolerabilis. Movit G. Herm. quod ineptum esset, Cassandram, quae jam introitura erat, rursum se convertere ad chorum, ut quasi magnum quid et memorabile dictum proferret, quod dici non erat opus. Sponte enim sequi, ut cum caede Agamemnonis etiam Cassandrae illi interfectionem luant. Id sane scit et ipsa et chorus et quisquis eam audiverit, sed de Agamemnonis ultione jam actum v. 1253. Nunc vero de se sola cogitans precatur, ut ille conatus eventum habeat, quia cum eo sui ipsius ultio conjuncta est (*τίνειν ὁμοῦ*). Haec sane *βραχυλόγως* dicuntur, sed ita tamen, ut quisque attentus auditor vel lector, quo pertineant, facile percipiat. Vera ut monuimus offensio in *φονεῦσι*, quia hac voce non continetur cujusnam futuri sint interfectores nec potest dictum esse pro *φονεύσουσι αὐτόν*, quod G. H. fieri potuisse, ut videtur, credidit, dum judicat intelligi haec posse, si ex *φονεῦσι* repetatur *αὐτούς*. Sed ulterius progressus est, usus glossa Hesych. *ἀσκεύοις· ψιλοῖς· ἀπαρασκεύοις· Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι.* Hoc vero accuratioris descriptionis illius scenae fragmentum sistit et ab hac concisa rei indicatione alienissimum est, ad quam si spectas, perinde erat cum armis an sine armis caedem auderent. Eo tamen confisus locum uno versu auxit et sic composuit:

ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι
Πρὸς ὕστατον φῶς βασιλέως τιμαόρους
Ἴσας δίκας φανέντας ἀσκεύοις ὁμοῦ
Ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ἐμοῦ
Δούλης θανούσης, εὐμαροῦς χειρώματος.

Bonum tamen, quod de introducendo verbo φαίνεσθαι cogitavit, nec dubito, quin omissis G. Hermanni additamentis Aeschyli verba scribenda sint

τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις
Ἐχθροὺς φανεῖσι τοὺς ἐμοὺς τίνειν ὁμοῦ
Δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος

sine inciso post θανούσης.

Patet corrupto φανεῖσι in φονεῦσι accusativos contiguos ruina tractos in dativos abiisse, quos Codd. exhibent. Φανεῖσι autem dictum est cum respectu ad v. 1253 Ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος.

Ad versus 1300—1304 ἰὼ βρότεια πράγματα κ. τ. λ. G. H. contendit, multum a vero aberrasse interpretes eos, qui ταῦτα ad postrema illa, τὰ δυστυχῆ, retulerint, ut nempe Cassandra fragilitate sortis humanae et celeri inter homines malorum oblivione commemorata hanc plus quam illam deplorare statuatur. Nec tamen sensus alius esse potest. Ipse Butlerum sequitur, qui ταῦτα ad utramque, ἐκείνων ad Cassandrae sortem refert. Sed iis, quae antea de Agamemnis, post de sua ipsius sorte questa fuerat, absolutis, ad omnem sortem humanam deplorandam (βρότεια πράγματα) transit, tam fragilem quam celeri oblivioni expositam, quae dum verbis ταῦτ' ἐκείνων comprehendit, necessario haec ita dicuntur, ut ταῦτ' ad proxime praecedens, alterum ἐκείνων ad prius referri debeat. Nec tamen Schützium sequar, qui sensum „moralem", quem dicit loco infert, nempe miserandam celerem malorum oblivionem, quia si secus fieret, homines experientiae memores melius sibi in futurum ab iis cauturos, quae nocere possint. Tale nec Aeschylo in mentem venire nec Cassandrae potuit, ut tantum πάθος et tam egregiam scenam in sententiam tam tritam et parvo venalem deduceret. Nec quidquam in eo mirum, si celerem malorum oblivionem magis quam sortis fragilitatem doleat, posita ante oculos Trojae et Priamidarum calamitate, quam lugere dudum desierunt homines et imminente sua ipsius internectione, quam brevi tempore oblivione sepultum iri praevidet.

IV.

De vocibus πίτνω πίπτω, δυφυής et δίφυιος, δίδυμος et δίδυμος.

Occasionem de his vocibus disputandi praebet scena, quae post Agamemnonis mortem inter Clytaemnestram atque chorum transigitur. Nam post proodicum systema, quod ferocem Clytaemnestrae magniloquentiam chorique horrorem spirat, versu 1422 φεῦ, τίς ἂν ἐν τάχει novum incipit, in quo moderata chori indignatione praestantissimus poeta θρῆνον, naenias chori i. e. civitatis de rege occiso inclusit, reginae criminibus et excusationibus egregio artificio interruptas, donec exhausto chori dolore Aegisthus scenam ingreditur.

In hac parte, quae naeniarum systema strophicum complectitur.

v. 1447. legitur

Δαῖμον, ὃς ἐμπίπτεις δώμασι καὶ διφυιεῖσι Τανταλίδαισιν.

Versu 1447. cum MSS. lectio ἐμπίπτεις metro contraria sit, Canterus nota 37 ad κρατύνεις monet scribendum esse ἐμπίτνεις.

Id quia normam, quam G. H. Opuscul. III. p. 164 statuerat, adversam haberet, hic ἐμπιτνεῖς scripsit, sed nunc ad Canteri rationem rediit ἐμπίτνεις probando, idem Ag. v. 1099 et v. 1184 ἐμπίτνων, Suppl. 113, 144, motus, ni fallor, argumentis, quibus Elmslej. ad Sophocl. Oedip. Colon. 1732 nixus, hanc τόνωσιν defenderat. Monet Ellendtius Lex. Soph. v. πίτνω his argumentis accedere Herodiani auctoritatem, ad quam revocandum putat id quod Scholiasta ad Il. π 827 exponit de quaestione inter Aristarchum et Tyrannionem controversa. Horum prior πέφνοντα ὡς τέμνοντα, Tyrannio πεφνόντα ὡς λαβόντα signaverat. Addit Schol.: καί μοι δοκεῖ ὁ Τυραννίων λόγῳ ὑγιεῖ χρῆσθαι. His tamen lis inter

πίτνω et πιτνῶ non dijudicatur. Nam juxta τέμνω, κάμνω, quae pro πίτνω afferuntur, apparent (ἱκ) ἱκνεῖσθαι (εσχ) ὑπισχνεῖσθαι, quae pro πιτνεῖν pugnare videntur et primo aspectu non probabile, ex eodem etymo duo verba πίτνω et πίπτω nulla τονώσεως differentia progerminasse. Nec tamen ad illam classem referendum erit πέφνω quod *N* non additilium sed radicale habet, utpote ex reduplicatione (φεν πεφεν πεφενω πέφνω) ortum. Etymon si spectas, πίτνω radici πετ *N* addit (πετνω πίτνω). πίπτω ex radice duplicata (πετ, πεπετ πεπτω πίπτω) oritur. Diversa ratio videtur verborum, quae aut dissyllabam habent radicem ut ὀρέγω ὀριγνῶ, aut nonnisi terminationem passivam exhibent ut ἱκνοῦμαι, ὑπισχνοῦμαι, quae praesens circumflectunt et in Aoristo nec ipsum *N* retinent. Argumentum autem, grammaticorum auctoritate majus, quo Elmslej. demonstravit πίτνειν et praesens et paroxytonon esse, repetitum est ex *N* additilio, quod *servile* appellat. Id enim nonnisi praesenti et imperfecto addi monuit, nunquam vero in aoristum transire et cum ἄταφος ἔπιτνε dixerit Soph. Oed. Col. 1729 id tanquam imperfectum ad πίτνω referri debere et posse, quia hujus modi verborum imperfecta et aoristi saepe perinde habeantur, neque hoc mirum, siquidem aoristo carent. Ceterum πίτνω vetustis epicis, Homero et Hesiodo, ignotum et Buttmanni observatio Gr. gr. II, p. 219 justissima, verbum istud nonnisi a tragicis et lyricis fuisse adhibitum, τονώσει in MSS. plerumque fluxa, ut Pind. Ol. II, 24 πένθος δὲ πιτνεῖ βαρύ, ita enim libri. Multa de loco contraversia, qui neque G. H. ἔπιτνε, neque A. Boeckhii ἔπιτνεν minus etiam Dissenii et Schneidewinii δ' ἐπίτνει patitur, verbum enim πιτνέω nihili est, sed δὲ πίτνει requirit. Est enim sententia generalis, ad sortem Cadmi filiarum applicata. Superest quidem locus Hesiodi, in quo vox controversa haeret Scut. v. 291, sed versus adnumerandus iis, qui prisco jam aevo corruptelas perpessi sunt. MSS. habent ἔπιτνον, ἔπιπλον et ἔπιμπλον. Grammatici ἔπιτνον explicant, sed ita ut vocabulo diversam a vulgata significationem tribuant, ut Etym. M. πιτνῶ. σημαίνει διαῤ-

ῥάσσω, ubi Herodianus περὶ παθῶν laudatur. Sed haud cunctanter scribendum

οἱ δ' ἄρ' ἐν ἐλλεδανοῖσι θέον καὶ ἔπιμπλαν ἀλωήν.

Sermo enim est de constringendis et coacervandis aristis et ἔπιμπλαν pro ἐπίμπλησαν dictum certam similium ἔσταν, ἔβαν sequitur analogiam.

Eodem Aeschyli loco διφυεῖσι cum metro repugnaret, G. H. διφυΐοισι correxit. Pertinet hoc ad rationem, qua vocabula e themate vel genitivi radice additis ιος ια ιον fiunt. Jam Lobeckius, Matthiae in Gr. gr. p. 143 et Ellendtius in Lexico Soph. p. 66 tractarunt rem, multis erroribus commixtam, eorumque magnam partem sustulerunt. Nobis ea ad communem legem revocanda videntur. Ex tribus illis terminationibus duae ιος et ιον adjectivis, quae duarum sunt terminationum contra ιη et ια solis substantivis competunt. Themata vel radices, quae ad haec nomina formanda adhibentur, tam mutae atque liquidae sunt quam purae. Mutarum et liquidarum genus nullam habet difficultatem radicesque vel themata substantivorum aut adjectivorum ita adhibentur, ut terminationum ος et η ratio habeatur nulla λόγος λόγ-ιος, τιμ-ή, τίμιος similiter δαιμον δαιμόνιος, αἰών αἰώνιος et adsumto μ ἀλκή ἄλκιμος, ἀοιδή ἀοίδιμος non raro cum leni sensus inflexione. Ita λόγιος est qui λόγων ἔμπειρος, λόγιμος περὶ οὗ πολὺς λόγος, πόρος πόριμος qui *affatim* praebet. Substantivis addita terminatione ιη att. ια formandis adhibentur plerumque adjectiva composita et verbalia in τος. γάμος, εὔγαμος εὐγαμία, ἄδικος ἀδικία, ἀνήρ εὔανδρος εὐανδρία, ὀργή ἄνοργος ἔνοργος εὔοργος ἀνοργία ἐνοργία εὐοργία, εὔμουσος εὐμουσία, εὐδαίμων εὐδαιμονία εὐήνωρ εὐηνορία et multa similia.

Mansit adhuc ἀδύναμος ut in οἶνος ἀδύναμος vinum viribus destitutum ex quo ἀδυναμία formatur.

Interdum adjectiva non composita in ος subst. in ια formandis sufficiunt ut φίλος φιλία, ἔρημος ἐρημία, ἐλεύθερος ἐλευθερία unde apertum,

voces εὐημερία, δυςημερία, quae falso ad ἡμέρα referuntur, ad ἥμερος tranquillus pertinere. Eodem revocanda ἀμερια vox nihili Soph. Aj. v. 208 scribenda haud dubie ἀμερία a simplici ἥμερος. Habet enim oppositum δολερῷ κεῖται χειμῶνι νοσήσας quod praecedit. Hucusque fuerat ἀμερίας βάρος status absconditi doloris. Nunc nocte proxima is in procellas erupit.

In verbalibus τ finale syllabae τος in σ transit, ut fit etiam in πετω ἔπεσον. Hinc ἀκίνητος, ἀκινησία, ἄκριτος ἀκρισία. Itaque ἐρεσία (ἐρετ) ἐρέττω monstrat fuisse aut cogitatum saltem fuisse ἔρετος, ut substantivum inde deduci posset. Hinc praecedente π, κ in subst. ψ et ξ proveniunt ὑποψία, δυςπεψία, ἀταξία, καχεξία. Immutabilia manent στ δυςάρμοστος δυςαρμοστία ut ἀπελπιστία, δυςελπιστία.

Veniendum jam ad substantiva ejus generis, quibus radices purae i. e. in vocalem α, ε et η, ι, ο, ω, υ exeuntes subsunt. Nominibus in αιος quae ex integris substantivis prodeunt ut πύλη πυλαῖος ἄκρα ἀκραῖος, Ἀθήνη Ἀθηναῖος, τιμή n. pr. Τιμαῖος radicem habent in α breve desinentem et ι non ex terminatione ιος sed ex α radicali in αι producto (πυλᾰ) πυλαῖος. Hinc si α longum radicem claudit, id immutatum manet, ut ναός πολύναος, πρόναος. Itaque Προνηΐη Minervae cognomen terminationem refert in ιη et apud Atticos Προναΐα scribendum non προναία. Nam si iota longum alpha suscipit ex hodiernae orthographiae legibus subscribi deberet, contra adscribi brevibus. Recte jam exhibent γήραι, δέπαι, σέλαι. Quis vero ferat προνᾴα? Similis ratio v. (καω) πυρκαΐά quod cum Euripides trisyllabum fecerit, hoc per συνίζησιν factum statui debet.

Succedunt subst. quae e radicibus in ε desinentibus addita terminatione ια fiunt. Fiunt autem plerumque ex adj. compositis in ης εὐγενής (εὐγενέ-ος) εὐγένεια. Haec prisco aevo digamma habuisse apertum ex αληθε,

ἀληθέϝω, ἀληθεύω cum similibus. Eo intermortuo ex ἀληθεϝία ortum att. ἀλήθεια ion. ἀληθείη Hom. Od. η, 297 donec apud recentiores α extenuato fieret ἀλήθεια. Veteribus atticis ᾱ finale longum hic mansit.

Eadem transformatio in εὐαγής εὐάγεια, ἀβλαβής ἀβλάβεια, εὐλαβής εὐλάβεια, ἐμμελής ἐμμέλεια, εὐφραδής εὐφράδεια, εὐχερής εὐχέρεια, εὐμενής εὐμένεια cet. conspicitur. Inde sequitur, si genetivus vocis radicalis duplex ε̄ habet, ut fit in εὐκλεής, primitivas formas inde ductas idem referre debere, εὐκλέεια, quae prius ε̄ cum perdidissent, facta sunt εὐκλεία, δυςκλεία, quas Atticis placuisse testantur veteres Grammatici, donec pergressu temporis in εὔκλεια δύςκλεια tenuarentur. Inde patet, quid de formis ex ὀλιγοδεής et περιδεής ortis dicendum. Priorem Zonaras p. 1443 ὀλιγοδέεια affert cf. Lobeck. Pathol. p. 243, formam genuinam haud dubie, quam tamen Grammatici in ὀλιγοδεία abiisse dicunt, ex altera deductum habet Phavorinus περιδεῖα et ὁ περισσὸς φόβος explicat. Fuit et ipsum περιδεεία nec puto in περιδεία aut περίδεια coarctandum. Fit hoc quidem in ipsis verbis, nec tamen probem Grammaticos ut facit Lobeckius l. c. qui Il. σ, 100 non excepto J. Bekkero ἐμεῖο δὲ δῆσεν tradunt. Scribendum haud dubie ἐμεῦ δ' ἐδέησεν. Nam formae contractionem sive crasin admittentes omnes ad δέω *ligo* pertinent δῆσα ligabam Od. ι, 99, δῆσε ligabat. Il. φ, 30, 730 κατέδησ' Il. ψ, 854 δησάντων Od. μ, 50 alia. Inde sequitur, si pro εη̄ una syllaba requiritur, συνίζησιν admittendam ἐὰν δέῃ Aristoph. Ran. v. 264, quod Cod. Rav. praebet. Meinekius Comic. Fr. T IV 242 ἐὰν δῇ scribit, postquam ad Menandr. p. 207 recte συνίζησιν defenderat. Nec aliter judicandum de κῆται pro κέηται, ἐγχῇ pro ἐγχέῃ, quidquid exhibeant Codd. et obloquantur grammatici fictis canonibus περὶ συνιζήσεως, κρίσεως atque ἐκθλίψεως decepti.

Pauca in εῑα substantivorum ex adjectivis compositorum terminos egrediuntur fiuntque ex ipsis substantivis πρέσβυς (πρεσβε) πρέσβεια, πένθος

(πενθε) πένθεια τλησικάρδιος Agam. 419 et jam ap. Hom. ἔγχος ἐγχείη att. ἐγχεία. Id E. M. s. v. ἐγχείης προπαροξυτόνως signatum vult, ut ὑπώρεια, quod poetice extensum falso dicit. — In nonnullis prisca τόνωσις retenta videtur ad significationem distinguendam. Itaque ἱέρεια sacerdos, ἱερεία sacerdotium, βασίλεια regina, βασιλεία regnum distingunt. — Sed regulae, qua ια ex adj. in ος, εια ex radicibus in ε prodiisse diximus, repugnare videntur non pauca, quae in ια terminantur, quamquam adj. in ος non suppetant ut (ἄγρα) ἀναγρία, ἔργον ἀνεργία, ἁμαρτία, εὐτυχία. In aliis duae formae reperiuntur εὐσέβεια et εὐσεβία, προμήθεια προμηθία. Euripides utramque speciem conjungit Iphig. Taur. 1210 Δίκαιος ἡ 'υσέβεια καὶ προμηθία. Haec non ita debent explicari ut in eadem dialecto alteram ex altera ortam statuas, sed partim monstrant, adjectiva in ος aut extitisse aut cogitata fuisse, ut quae existere potuerint. Ita cum εὔψυχος inveniatur ap. Aeschyl. Pers. 386 εὐψύχῳ δράσει, ex quo εὐψυχία prodiit, quidni εὔτυχος extiterit ex quo εὐτυχία formaretur? item in ἁμαρτία, quamquam ἁμαρτῆ tantum existat, quod indicio est ἁμαρτὸς aut extitisse aut cogitatum esse ad formam istam inde producendim. Eadem fere in reliquis ratio. Ad ἀδυναμία formandam superesse ἀδύναμος vidimus. Quidni igitur in similibus eadem terminatio extiterit? Ubi vero non credibile, talia aut extitisse aut cogitari potuisse ut in προμηθία, εὐγενία, statuendum haec a poëtis ex Jade sumta esse, quae has formarum species absque ε finali radici admovet; ut in ἱερεός ἱερία aut simplex α radicali epsilo addit ἱερέα, unde triplex forma ex αληθε αληθηΐη ἀληθέη et αληθέα apud Jonenses reperitur.

Nomina quorum radices in ι exeunt pauca hic in censum veniunt. Adjectiva ejus generis sunt (Δι-ός) δῖϊος δῖος. Distinctam formam Latinorum *divinus* monstrat, χίος χΐϊος χῖος, item formae quae cum ἴδρις cohaerent. Apud Homerum usque ad novissimos editores propagatum Il. γ, 219. ἀΐδρεϊ φωτὶ ἐοικὼς nec non Il. π, 359 ἀϊδρείη πολέμοιο,

Il. η, 198 ἀϊδρείῃ et saepius ἀϊδρείῃσι. Hic illic haeserat forma ἀϊδρίῃ in Varr. Lectt. ut Od. μ, 42 quam antiquam et genuinam esse ne dubites. Est enim ἴδρις, ἴδριος non ἴδρεος, quod Grammaticis debetur et scribendum ἄϊδρι et ἀϊδρίῃ, ἀϊδρίῃσι duplicato iota.

Videndum praeterea de formis ab ὑγιής derivatis, cui radicem ὑγι subisse manifestum. Ex hac cum ortum sit ὑγιής sequitur, recte formari (ὑγιε) ὑγιεία, ὑγίεια, cui G. H. in Aeschyl. Agam. v. 974 ut paeonicum rhythmum efficeret, ὑγιΐας substituit, addens: De ὑγιΐης dubitare non sinunt ἱερία et tot alia utramque terminationem habentia nomina. Horum, quae ionismum referunt, numerum extra ejus terminos augeri posse haud contenderim, neque exemplo v. ἱερίη utendum, quod ex Pind. Pyth. IV, 9 afferunt cui alteram ejusdam dialecti formam ἱερέα Boeckhius contra metri rationem intulit. Ni fallor, lectum fuit Πυθία idque cum per ἱέρεια explicatum esset, glossa haec in textum migravit. In Aeschyli loco iis, qui ὑγιείας in periultima tenuari putant eo magis accedendum, quod ει duabus vocalibus interpositum est.

De nominibus, quae radicem in ο vel ω exeuntem habent hoc notandam. Adjectivae formae in ος aut ιμος terminantur εὔροος, πλώϊμος al. Substantiva ex his adjectivis fiunt addito ιη ια. Hinc πλέω πλοῦς, εὔπλοος εὐπλοΐη εὐπλοΐα. Fuit igitur eadem, quae in ε formarum μετάβασις εὐπλοϜία, unde εὐπλοΐη Herod. εὐπλοίη Hom. εὔπλοια att. donec et haec in εὔπλοια tenuata fuit. Eadem reliquorum ratio ἄνοιοα, εὔνοια δύςνοια, εὔροος εὔροια, δύσροος δύςροια. Ex terminatione antiqua est apud Hom. Il. ι, 362 εἰ δέ τις εὐπλοίην δοίη θεός. Atticorum usum refert ἀγνοία μ' ἔχει Soph. Tract. v. 349, cf. Ellendtius s. h. v. Sed οἰνοχοΐα vel οἰνοχόεια commun iilli οἰνόχοια cedere debent. Juxta οἰνοχόος χρυσοχόος apparet χρυσοχόϊον οἰνοχόϊον, quae non ut vulgo putant e χρυσοχοεῖον οἰνοχοεῖον insolita prorsus compressione literarum orta sunt, sed adjectiva χρυσοχόϊος, οἰνοχόϊος referunt, quae omisso subst.

σκεῦος, ἄγγος substantivi vim induerunt χρυσοχόϊον, οἰνοχόϊον. — Οἰνοχόεια quod Grammatici afferunt nihili est. Fuit quod posuimus οἰνοχοΐα substant. Nec (ζωή εὔζωος) εὐζωΐα confusionem vocalium, ut εὐζῴα fieret, videtur admisisse obstante vocali longa, quamquam ζώϊον ὤϊον in ζῷον, ᾠὸν signata fuerint. Est quidem altera forma εὐζωά sine jota, qua usus Pindarus Pyth. IV, 131 ἱερὸν εὐζωᾶς ἄωτον (θρέψε) sed haec diversam analogiam sequitur fitque e ζωή adsumto εὖ, εὐζωή ut εὐεστώ ex simplici substantivo eadem ratione εὖ praemittens.

Ab his distinguendae formae quibus productio $\overline{ο}$ radicalis in $\overline{οι}$ subest. Ex ποέω, quae prisca fuit forma prodire poterat ἐπόποια sed posteaquam usus literae in $\overline{οι}$ productae praevaluit, obstitit $\overline{ο}$ antiquitus in $\overline{οι}$ distractum (ἐποποιός al.) ἐποποιΐα, ὀψοποιΐα, σκευοποιΐα al. quae juxta εὐζωΐα locum suum tuentur.

Radices in ῦ desinentes et ipsae accedente $\overline{ια}$ literas υι in diphtongum conjungunt πῆχυς τριπηχύϊος, τριπήχυιος, νέκυς νεκυΐα νεκυία nec videtur vox ad νέκυια progressa fuisse. Nomina personalia ultimam α tenuant ut Ἐλείθυια παῖ Διός Pind. Nem. III v. 1 nec dubium, quin Ἅρπυια eundem canonem sequatur. Eadem participiorum forma τετυφυΐα, λελοιπυΐα al.

Jam ut ad voces e φύω natas disputatio deducatur, a quibus profecta est, patet ex adj. compos. εὐφυής recte deduci εὐφύεια, quam formam Alexandrides praebet apud E. M. f. h. v. Sed juxta hanc εὐφυΐα εὐφυία conspicitur quae analogiam eandem cum praecedentibus habet eoque eodem quo ἀπλοΐη in ἄπλοια transiit modo, ex εὐφυΐη εὐφυΐα in εὐφυία et εὔφυια pro temporum diversitate transire debuit.

Superest ut de δίφυιος dicatur, quod loco Aeschyli, a quo hae disquisitiones ortae sunt, cui διφυίοις pro διφυέσσι reddiderunt interpretes.

Analogiam habet *δίφυιος* eandem, quam *τριπάχυιος*. Vocem testantur Anaxagoras ap. Diog. Laert. IV, 26 in Brunckii Anal. T p. 260 Epigr. 2 *τὸ καὶ σέο σῶμα δίφυιον* et Hesych. *Δίφυιον· νυκτὸς τὰ δύο μέρη τὸ δίμοιρον* allatus a G. H. Ita sane Hesychii editio Albert. sed Juntina habet *Δίφυιον** cum asterisco tanquam signo corruptelae et sane *δίφυιον bis genitum* significare non potuit quod subjungit Hesychius. Praecedit gl. *διφυᾶ διφυῆ·* (ita Junt. cum iota non *διφυῆ* ut Albertus habet et reliqui credunt) *δύο φύσεις ἔχοντες* et ipsa corrupta. Non enim vulgata forma *διφυᾶ* per *διφυῆ* potuit explicari, quae falsa et si *διφυῆ* scribetur ionica est. Itaque duas glossas confusas esse statuendum, quae eandem explicationem sed casus diversos habuerint. *Διφυᾶ· δύο φύσεις ἔχουσαν* (Herod. IV c. 9) *Διφυεῖ· δύο φύσεις ἔχοντι.* Porro *Δίφυιοι· δύο φύσεις ἔχοντες.* Quo pertineat explicatio *νυκτὸς τὰ δύο μέρη· τὸ δίμοιρον* non difficile dictu est. Post *δίμαχοι* fuit: *Δίμοιρον νυκτός· Νυκτὸς τὰ δύο μέρη* quibus fortasse additum erat: *οἷον* (Il. κ 252) *παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.*

Idem Hesych. *Δεκαφυΐα· δεκαπλάσια. Διφυΐα δὲ διπλάσια*, ad quae Kusterus: „Leg. *δεκαφυΐα· δεκαπλάσια* et *διφυΐα διπλάσια* mutato accentu". Non accurate G. H. ab eo *δεκάφυια* et *δίφυια* scriptum refert. Verum tamen *δεκάφυια* et *δίφυια* id est adjectivas fuisse formas. Coll. Etym. M. p. 254 l. 10. *Δεκαφυΐα τὰ δεκαπλάσια. Καλλίμαχος* (Fragm. 162) *τῶν ἔτι σοι δεκαφυΐα φάτο ζωάγρια τίσειν· καὶ δεκαφυΐον εἴρηται οἱονεὶ δεκάφυον, δεκάκις πεφυκότα· τὸ γὰρ φύω αἰολικῶς φυίω φασί. καὶ τὸ ἀλύω, ἀλυίω.* Ad haec Sylburgius: „metrum poscit *δεκάφυια*". Lobeckius ad Phryn. p. 444 *δεκάφυον* in duas voces *δέκα φύον* separat. Sed G. H. emendat: *καὶ δεκάφυιά εἴρηται οἱονεὶ δεκάφυα, δεκάκις πεφυκότα.* Aeolica, quae E. M. affert huc non pertinere perspexit Lobeckius, qui istud *ι* formationis commune adjumentum esse monet. Verba E. M. sic ordinanda: *καὶ δεκάφυιον εἴρηται, οἱονεὶ δέκα φύον καὶ δεκάφυια δεκάκις πεφυκότα.*

His subjungamus observationes de voce contigua δίδυμος cui post G. Hermannum alteram δίδυμνος addiderunt. At vero ut supra observatum est juxta terminationes ος ιος apparet tertia adsumto ι et μ ιμος plerumque radicibus mutis addita ἄλκιμος, ἀοίδιμος et adsumto Δ φαίδιμος, interdum etiam puris, ut ἴφθιμος quod ex (ιφι ιφθι) ἰφθίιμος contractum esse dubitari non potest.

Jam cum δίδυμος υ breve habeat, interdum tamen longum, ut in Pindari Ol. III v. 61 σὺν βαθυζώνου διδύμοις παισὶ Λήδας, G. Hermannus in notis ad Pindarum Heynianae editioni additis p. 286 διδύμνοις scripsit, Cod. Lips. inquiens σὺν βαθυζώνης παισὶ Λήδας Cizensis διδύμοισι. Scribendum διδύμνοις ut νώνυμος, ἀπάλαμνος atque alia hujusmodi a poëtis metri causa usurpantur". Sequuti sunt edd. post G. H. omnes, me ipso non excepto et inde vox hybrida in Lexica graeca transiit. Hybridam dico, quia vocabula ad defendendum allata μ radicale habent non addititium eoque ad terminationem μος non pertinent, quam in μνος augeri potuisse nemo efficiet. Itaque statuendum, juxta δίδυ-μος extitisse διδύ-ιμος, quod in δίδυιμος eodem modo quo διφύιος, δίφυιος coaluerit. Eadem forma jam reddenda Pind. Olymp. XIII ἢ θεῶν ναοῖσιν οἰωνῶν βασιλῆα δίδυιμον ἔθηκ'.

V.

De loco Aeschyli, qui huic dissertationis parti occasionem dedit.

Sed juvabit reliquas quoque hujus antistrophae partes examini subjicere, quae ita se habet:

Δαῖμον, ὃς ἐμπίτνεις
Δώμασι καὶ διφυίοισι Τανταλίδαισιν
Κράτος ἰσόψυχον ἐκ γυναικῶν
Καρδίοδηκτον ἐμοὶ κρατύνεις.
Ἐπὶ δὲ σώματος δίκαν μοι
Κόρακος ἐχθροῦ σταθεὶς ἐκνόμως
Ὕμνον ὑμνεῖν ἐπεύχεται.

Inde a *κράτος ἰσοψυχον* lectionem Victorianam dedimus. Ad *Τανταλίδαισιν* Schol. *Ἀτρεῖ καὶ Θυέστῃ. ἢ Ἀγαμέμνονι καὶ Μενελάῳ.* Prius sequitur Schützius: „Semper enim", inquit, „choro obversantur illorum piacula, quae etiam in posteris oriuntur". Cogitat sane de his, sed simul de re praesenti agit (*ὃς ἐμπίτνεις δώμασι*) et Clytaemnestrae facinus ab hoc genio motum canit. Non igitur potest dici, Atreo et Thyestae irruere. G. H. ad Agamemnonem et Menelaum, ut par erat, retulit. Simili modo utrumque *διφυίους Τανταλίδας* vv. 43, 44 *διθρόνου Διόθεν καὶ δισκήπτρου τιμῆς ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδῶν* dixerat et concinunt, quae de mulieribus Helena nempe et Clytaemnestra, subjungit. v. 1449. *καρδία δηκτόν* vel *καρδίᾳ δηκτόν* MS. correxit Abreschius: „Ad metrum aptius legeretur *καρδιόδηκτον*". Formata vox ut *καρδιοβόλος, καρδιόπληκτος, καρδιότρωτος* similia, de quibus vid. Steph. Thes. Gr. *τ*, IV p. 482 ed. Lond. Pro *σταθεὶς* recte scripsit *σταθεῖσ'* ad Clytaemnestram referendum.

Κράτος ἐκ γυναικῶν est a feminis profectum cum actionis notione ut Choeph. v. 416 *ἄσαντος ἐκ ματρός ἐστι θυμός,* cum irae indicatione quae a matre proficiscitur. Non igitur causa erat, quare Pors. *ἐκ* omitteret. — In Porsoniana est *κρατύνοις* „fortasse typothetae errore" ait G. H. Ni fallor, preces exprimere voluit ad genium directas, quo admisso *ἐμοί* dativus, quem commodi dicunt, esse deberet. Sed laborat metrum post *κράτος*, cui G. H. inferendo *τε* satisfecit „Omiserunt", inquiens, „librarii, ne deesset, quod genio diceret chorus, immemores hujus-

cemodi compellationes saepissime nudas poni quoniam intelligitur *te appello*". Sensum diversissimis modis constituere nisi sunt inde ab Heathii aetate, frustra, ut videtur omnes, neque melius reliquis G. H. qui vertit: *o injuste deus, qui irruis in domum et duplices Tantalidas victoriamque gubernas parilis animi a mulieribus* (Helena et Clytaemnestra) *cor mihi mordentem,* in qua versione neque victoria parilis animi intelligi posse videtur addito a *mulieribus* sive hoc ad *gubernas* sive ad *mordentem* referas, neque quid sit talem victoriam gubernare. Verbum *κρατύνειν* Homero et Hesiodo inusitatum vim simplicis *κρατεῖν* intendit et a tragicis frequentatur sensu tam medio quam activo Aeschyl. Prom. v. 150 *Ζεὺς ἀθέτως κρατύνει* coll. v. 402 cum genit. Soph. Phiolect. v. 366: *τῶν δ' ὅπλων κείνων ἀνὴρ ἄλλος κρατύνει νῦν,* coll. 1046, 1146 cum accus. Pers. 868 *καὶ τὰς εὐκτεάνους (νήσους) ἐκράτυνε* (imperio regebat) Suppl. 367 *κρατύνεις βωμὸν ἑστίαν χθονός,* ib. 680 *τὸ δήμιον, τὸ πτόλιν κρατῦνον.* Conf. Brunckium ad Eurip. Phoeniss. v. 622. *Κράτος* autem victoriam quidem sensu translato significare potest, sed hujus notio cum ab hoc loco aliena sit, a vulgato usu, quo vim, potentiam et potestatem significat, non erit redendum. Inde sequitur *κράτος ἐκ γυναικῶν κρατύνειν* esse vim atque potentiam mulierum seu quae a mulieribus exercitur imperio regere atque dirigere. *Ἰσόψυχον* Scholiastes ad ipsas mulieres refert *γυναικῶν. Κλυταιμνήστρας καὶ Ἑλένης λέγει αἳ κατὰ φαυλότητα ἴσας τὰς ψυχὰς ἔχουσι,* huncque interpretes sequuti sunt. Sed augebitur dictionis et sensus efficacia, si ad ipsum genium referas, ut sit ejusdem cum ipso daemone indolis atque audaciae i. e. mentem tam perniciosam quam ipsius Atridarum daemonis. Igitur violentiam mali Atridarum genii atque uxorum eandem dicit hasque ait ejus imperio velut ab eo possessas ita dirigi, ut mulieribus his velut instrumentis utatur ad efficienda, quae cogitet. *Ἐμοί* non ad *καρδιόδηκτον* cum Heathio, sed ad *κρατύνεις* referendum: *earum impotentiam regis, mihi seu nobis nempe in nostram miseriam populique perniciem.*

Quae sequuntur defectum habent metricum pedis jambici, quem diversis modis supplent, Schützius *φόνῳ*, Butlerus *δόμοις*, G. Hermannus *μύσος* addendo. Sed *ἐκνόμως* etiam ruinam indicat. Est enim *ἐκνόμως ὑμνεῖν* vel *ἐκνόμως ἐπεύχεται* debilius dictum quam pro metaphorae vigore et rei indignitate. Itaque scribendam haud cunctanter:

ἐπὶ δὲ σώματος δίκαν
Κόρακος ἐχθροῦ σταθεῖσ' ἐκνόμοις
Ὕμνον ὑμνεῖν νόμοις ἐπεύχεται.

Simili dictione chorus de Cassandra utitur v. 1111 *ἀμφὶ δ' αὑτᾶς θροῶς νόμον ἄνομον* Coll. 1123

Τὰ δ' ἐπίφοβα δυςφάτῳ κλαγγᾷ
Μελοτυπεῖς ὁμοῦ δ' ὀρθίοις ἐν νόμοις.

VI.

De locis lacunosis praecedenti strophae contiguis.

Tres majores in hac scena metrica G. Hermanni solertia aperuit et primam quidem, post versum 1433 *Νῦν δὲ τελέαν ..... πολύμναστον* trium anapaesticorum dimetrorum et unius monometri. Agitur versu 1430 *Ἰώ, ἰὼ παράνους Ἑλένα κ. τ. λ.* de perversis Helenae conatibus, quae una plurimas animas sub Troja prodiderit, hisque opponuntur quae nunc dira domi prioribus addiderit. Sed ejus sententiae initium tantum superest, v. 1433 *Νῦν δὲ τελέαν πολύμνηστον* quo indicatur in iis, quae exciderunt, actum fuisse de Agamemnonis interitu aeque ac priora ad Helenae conamina referendo. — *Τέλειος* i. q. *ἐν τέλει ὤν*, qui summum imperium tenuit, eoque plurimis illis sub Troja interemptis opponitur.

Cf. v. 946. *ἀνδρὸς τελείου δῶμ' ἐπιστρεφωμένου* et Suppl. 520 *τελέων τελειότατον κράτος, ὄλβιε Ζεῦ.*

In lacuna, quam versus antistrophici 1519 seq. *ἰὼ γᾶ γᾶ* monstrant, explenda hoc primum cavendum, ne *πολύμναστον* et *τελείαν* voces interno nexu junctas separentur, quod factum ab omnibus, dum vocem alteram ad melica quae sequuntur referunt. Scrib. *Νῦν δὲ τελείαν καὶ πολυμνήστην*, quo dimetro constituto tres et monom. supplendi remanent. Horum tenor qui fuerit, ex parte monstrat Clytaemnestrae responsum quo vetat, ne mortem sibi chorus exoptet, quod ad stropham primam spectat, et addit:

> *Μηδ' εἰς Ἑλένην κότον ἐκτρέψῃς*
> *ὡς ἀνδρολέτειρ', ὡς μία πολλῶν*
> *ἀνδρῶν ψυχὰς Δαναῶν ὀλέσασ'*
> *ἀξύστατον ἄλγος ἔπραξεν.*

Haec igitur anapaesticae periodi et melicorum argumentum repetunt. Jam iis quae servata sunt inest *Ἑλένη ἀνδρολέτειρα* ejusque detestatio, non inest quod ei subjunctum fuisse indicat, illam *ἀξύστατον ἄλγος* condidisse. Hoc igitur ipsum quod removere ab Helena vult dictum a choro esse debuit nimirum cum respectu ad Agamemnonis interitum quem ex eadem Helenae amentia chorus derivaverat. Ipsos sane anapaestos restituere nullo artificio possis. Probabilia autem aut saltem non prorsus improbabilia si sectaris, hic fere integri loci tenor esse potuit:

> *Νῦν δὲ τελείαν καὶ πολυμνήστην*
> *Ἀνδρὸς ἀρίστου καὶ τριποθήτου*
> *Πάθος ἄσπονδον τεύχουσα πόλει*
> *Πατρίδος αἴης αὐταῖς ἐν ἕδραις*
> *Πάρος οἰχομένοις ἐπέθυσας.*

In his *πάθος ἄσπονδον κ. τ. λ.* si dixit, habent verba Clytaemnestrae v. 1447 *ἀξύστατον ἄλγος ἔθηκεν*, nempe Helena quo

referuntur. Peculiarem Agamemnonis mentionem hic non fecit, sed ad sequentia distulit. Denique *πάρος οἰχομένοις ἐπέθυσας*, quibus periodum terminavi, referas ad v. 1452 seqq. in quibus cum respectu ad chori lamenta declarat Clytaemnestra sub sua specie Atrei alastora fuisse, qui Agamemnonem interfecerit *τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας*. Vides igitur omnia, quae posuimus iis, quae Clytaemnestra respondet modo satis aperto explicari et confirmari.

Melica quae sequuntur diversis modis sarcire studuerunt. Auratus *ἀπήνθισεν* proposuit, Casaub. *ἀπηνθίσω*, Butlerus *ἐπήνθισεν*, Blomfieldius *πολύμναστον ἄτην ἀπηνθίσω* et detecta a G. H. antistropha Wellauerus *πολύμναστον ἐπηνθίσω αἷμ' ἄνιπτον*, idem G. H. praemisso *ἦ*. Horum nonnulla accuratius examinanda sunt. Altero adjectivo ut fecimus cum *τελείαν* conjuncto lyrica incipiunt ab *ἐπεηνθίσω δι' αἷμ' ἄνιπτον ἥ τις ἦν τότ' ἐν δόμοις* nulla Codd. diversitate. Cum in lyricis ab Hemichorio non sine asseveratione confirmentur, quae in anapaesticis dicta erant, G. H. vidit *ἦ* initio requiri, cui *γὰρ* commode addas. Nam causa consensus chori cum praecedentibus indicatur. Pro *ἐπηνθίσω* Casauboni *ἀπηνθίσω* confirmari videtur a Phrynicho in Imm. Bekkeri Anecdot. gr. T. I. p. 7 *ἀπηνθίσθαι. τὸ ἀποβεβληκέναι τὸ ἄνθος καὶ ἐνεργητικῶς τίθησι. ἀπανθίσας.* — Blomf. *τιθεῖσι* proponit. Scribendum potius *τίθησιν ὁ Αἰσχύλος ἀπανθίσαι.* Cf. Agam. v. 1647 *ματαίαν γλῶσσαν ὧδ' ἀπανθίσαι.* Formam mediam testatur Lucianus Tom. III. p. 98 *τοῦ κάλλους τι ἀπανθίζεται* (floris sibi aliquid decerpit) laudatus Fr. Jacobsio Anthol. T. VI. p. 108. Vulgatam tamen tuentur Wellauerus, G. H. alii, Wellauerus vertit *ornasti, texisti te nobili longine non extinguendo.* G. H. *Tibi adspersisti inexpiabilem sanguinem.* Addit hic: „Alio modo sed non plane dissimili usus hac voce Aeschylus Sept. c. Th. v. 924 (= 932) *ἰὼ πολλοῖς ἐπανθίσαντες πόνοισι γενεάν*". Nec aliter Choeph. v. 148 *Ὑμᾶς δὲ κωκυτοῖς ἐπανθίζειν νόμος Παιᾶνα*". Tertium ejus usus exemplum equidem non

novi. Nam quae afferuntur in Thesaur. Stephaniano s. h. v. e recentioris graecitatis auctoribus repetita sunt. Nota ratio, quae inter *ἀνθεῖν* et *ἀνθίζειν*, illud neutrum, hac activum intercedit. Prius est florere, posterius floribus ornare (beblumen). Utrumque suppressa florum notiones dicitur, ut Agam. v. 645 *ὁρῶμεν ἀνθοῦν πέλαγος Αἰγαῖον νεκροῖς* efflorescens i. e. exuberans. Hinc compos. *ἀπανθεῖν deflorere* Plat. Symp. p. 196. *ἀπανθεῖ γὰρ καὶ ἀπηνθηκότι σώματι καὶ ψυχῇ καὶ ἄλλῳ ὁτῳοῦν οὐκ ἐνίζει ἔρως*, et *ἐπανθεῖν* Aristoph. Nub. 978 *τοῖς αἰδοίοισι δρόσος καὶ χνοῦς ὥςπερ μήλοισιν ἐπανθεῖ* et *ἐπανθίζειν*, in utroque, quem supra posuimus loco. Ex his autem patet *ἐπανθίζειν* neque dici posse, nisi addito objecto quod *ἐπανθίζεται* et re, qua id efficitur, justamque et legitimam structuram esse *ἐπανθίζειν τί τινι*, ut *ἐπανθίζειν πόνοις γενεάν, κωκυτοῖς παιᾶνα*, genus laboribus, paeana singultibus insignire Apertum autem, ex his nihil sequi quo *ἐπανθίζειν* vel *ἐπανθίζεσθαι αἷμα* explicari Weliauerique atque G. H. conjectura commendari possit. Verum igitur hic quoque Auratus perspexit qui vitiosam esse vulgatam judicavit. Cum tamen non veri simile sit Aeschylum in eadem tragoedia de eadem re formam activam et mediam adhibuisse equidem *ἀπήνθισας* scribendum judico. Quid vero praepositioni in verbis *δι' αἷμ' ἄνιπτον* fiat, qua deleta Wellauerus et G. H. dictionem incongruam effecerunt? Versus antistrophicus 1526 *τίς δ' ἐπιτύμβιος αἶνος ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ* nullam corruptionis indicium habet. Huic ut strophicus exaequetur et sensus simul lectioni *ἀπήνθισας* conveniens prodeat scribendum

ἢ γὰρ ἀπήνθισας αἷμα δι' αἷμ' ἄνιπτον.

Αἷμα ἄνιπτον ad hanc caedem Agamemnonis retulerunt falso. Potest quidem *αἷμα ἄνιπτον* esse sanguis non abluendus, sed obstat relatio particulae *τότε*, quae sequitur docetque de re praeterita agi. Non igitur dubium, quin *αἷμ' ἄνιπτον* ad Iphigeniae caedem *tunc* commissam pertineat. Prius *αἷμα* repetito eodem vocabulo obliteratum fuit. Jam

nexus emergit, quem inter utriusque Hemichorii verba fuisse vidimas hic: „Profecto hoc fecit et in causa fuit ut Agamemno sanguine sanguinem filiae inultam lueret". Quae sequuntur *ἥτις ἦν τότ' ἐν δόμοις* ‖ *Ἔρις ἐρίδματος ἀνδρὸς οἰζύς*, non respondent Antistroph. *σὺν δακρύοιν ἰάπτων* ‖ *Ἀλαθείᾳ φρενῶν πονάσει*, in quo *δακρύοιν* manifesto corruptum est. Nec *ἰάπτων* habet quo referatur. Haec igitur neminem de eo quod in strophico versu legendum sit, monere possunt, quamquam aliter sentiente G. Hermanno, quippe quae et ipsa emendatione egeant, quam certam proponi posse arbitror. Sed de hac postea. Schützius et Butlerus *ἥτις* in *ἥ τις* mutant, quod minime se probare cum Blomfieldio, G. H. monet. Hunc ostendere debuisse, qui sensus vulgatae esset, quove modo expediri illa orationis perversitas posset. Ipse tamen non demonstravit, quid perversum loco inesset, satis habuit auctoritatem nominis sui interposuisse, dum declarat, neminem, qui aliquem tragicae dictionis aut orationis poeticae sensum haberet non intellecturum, illud *ἥτις ἦν* non esse a poeta profectum, sed additum ab interprete aut *alio errore ortum*. Verum fortasse quod de *ἥτις* dicit, si simplicem relationem statuit. Quid vero si *τίς* non ad *ἥ* sed ad *Ερις* referas, ut Helena *Ἔρις τις* tunc fuisse in aedibus dicatur eodum modo quo Cassandra Clytaemnestram v. 1206 appellat *Σκύλλαν τινὰ Οἰκοῦσαν ἐν πέτραισι*? Ipse ejectis voculis *ἥ τις* earum loco *στᾶσα* posuit, participium inutile et jejunum. Quis enim *stantem* hic Helenam expetet aut toleret? Sana codicum lectio *ἥ τις πότ' ἦν δόμοισι* si mutata orthographia *ἐν* pro *ἦν* scribas et defectum verbi addito *ἦσθα* suppleas, ut sit *ἥ τις πότ' ἐνῆσθα δόμοισιν*. Huic respondent antistrophica si corruptelam *δακρύοιν* in *ΔΑΚΡΥ . . . οι . . . ν* diducas et suppleas *δάκρυ(σιν) οἶ(κτο)ν*, ut versus prodeat *σὺν δάκρυσιν οἶκτον ἰάπτων*, cui strophicus qualem restituimus *ἥ τις τότ' ἔνησθα δόμοισι* par est nec quidquum ad sensum et structuram deest. — Ad *Ἔρις ἐρίδματος* G. H. interrogat, hoc quid sit? Contendit Blomfieldius explicari posse *a contentione aedificata* ut sit „rixa rixam peperit". At enim rixa aedificari dici non

potest, et si possit, non potest illa rixa aedificata esse quae rixam pepererit. Patet tamen quare ἐρίδματος et ipsum ad ἔρις revocet. Ni fallor de *rixa rixae inaedificata* cogitavit. Hoc sensu esset ἅπαξ λεγόμενον; nullibi enim ἔρις in compositis apparet, et simul barbarum, quia genealogia ἐριδόδματος requireret, ut in ἐλπιδοδώτης ἀσπιδοφόρος, similibus. Redeundum igitur erit ad ἐρι, ut ἐρίδματος sit aut *admodum domitus*, aut *admodum aedificatus*. Ita θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ Pind. Pyth. I, 61 quae libertas, nempe dorica, est divinitus i. e. praeceptis seu oraculis divinis condita. Prius cum loco contrarium esset, adjectivo verbali *activam* significationem proprio marte dedit Stanlejus, qui Eris *viri* domitrix vertit, contra G. A. J. Ahrensius: „Quae tunc erat in aedibus discordia *firmiter condita* viri calamitas facta est", ni fallor ad Agamemnonis cum Clytaemnestra rixam respiciens de Iphigenia. Haec tamen non fuerat in aedibus nec analogiam habet metaphora aedificandi notionem ad discordiam transferens. Scaliger scripsit: „ἐρίδμαντος ab ἐριδμαίνω", *irrito*, Hom. Il. π, 260 (σφῆκες) οὓς παῖδες ἐριδμαίνωσιν ἔθοντες. Ad haec G. H. „Quod placuit Blomfieldio. Quin Scottus in appendice Thesauri Stephaniani ἐρίδματος pro genitivo habuit ab ἔριδμα ducto". Ipse ad Stanleji opinionem redit, deleto tamen ἔρις quod ex repetitione sequentium syllabarum ortum putat et τις post ἐρίδματος illato. Totus igitur locus ita compositus ex ejus manibus prodiit:

> ἢ πολύμναστον ἐπηνθίσω αἷμ' ἄνιπτον,
> στᾶσα τότ' ἐν δόμοισιν
> ἐρίδματος ἀνδρὸς οἰζύς.

Vertit: *hei memorique cruore neque cluendo conspicua, in domo tum gravis pestis viri peremtrix*, sensu partim incongruo partim jejuno. Servanda omnino Ἔρις tanquam vox primaria et scrib. δύσδματος, quod syllabis ἐρι improspere repetitis, in ἐρίδματος mutatum fuit. Stropha igitur hoc modo erit componenda:

ἦ γὰρ ἀπήνθισας αἷμα δι' αἷμ' ἄνιπτον,
ἥ τις τότ' ἐνῆσθα δόμοισιν
ἔρις δύσδματος ἀνδρὸς οἰζύς

cui antistrophica nulla nisi corruptae vocis *δακρύοιν* mutatione adhibita respondent:

τίς δ' ἐπιτύμβιος αἶνος ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ
Σὺν δάκρυσιν οἶκτον ἰάπτων
Ἀλαθείᾳ φρενῶν πονάσει;

Sensus strophae est

Revera enim profudisti sanguinem ob sanguinem non ablutum,
Quae tunc ineras aedibus
Eris indomita viri calamitas.

Inest igitur uberior explicatio eorum, quae anapaestis in Helenam erant collata. Nam e rixis, quas expeditio ab Agamemnone ob fugam Helenae suscepta inter conjuges moverat praesens viri calamitas originem habuit, reditque chorus ad ea, quae initio tragoediae Calchas cecinisse dicitur, immolationem Iphigeniae v. 148 *Νεικέων τέκτονα σύμφυτον οὐ δεισήνορα* appellans. Haec si uberius exposuimus, veniam, puto, lectores dabunt ob ipsam illam *Ἔριν δύσδματον* de loco partim lacunoso partim desperato inter interpretes motam.

Secundus locus lacunosus, quem tractandum suscepimus est vers. 1425 usque ad 1485 *αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὔργον ἐμόν· | Μὴδ' ἐπιλεχθῇς Ἀγαμεμνονίην εἶναί μ' ἄλοχον* usque ad *Τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας,* cui tres dipodias deesse antistrophica inde a. v. 1502 *οὔτ' ἀνελεύθερον οἶμαι θάνατον* demonstrant. Corruptam lectionem asterisco indicat Vict. seu potius H. Stephanus, proprio marte *μηδ' ἐπιλεχθῇς** scribens. Nam codices quos sequitur habent *μηδ' ἐπιλεχθῆς* Florent. *μή δ' ἐπιλεχθῆς* Farnes. Jam Pauwius correxit *μή δ' ἐπιλεχθῇς* quod dictum putat pro

ἐπιλέξῃς, nec aliter Auratus alii. Contra monet G. H. *ἐπιλεχθῇς* non posse significare *cogitaveris;* hoc enim *ἐπιλέξασθαι* dici. Sed *μηδ' ἐπιλέξῃ* scribi non potest propter hiatum, quem sequens *'Αγαμεμνίαν* facit neque *ἐπιλέξῃς* cum Vossio. Hunc sequitur J. Fr. nec tamen docet, quid *ἐπί* sibi velit in composito. — G. Herm. *μηκέτι λεχθῇ δ'*. Quid vero *ἔτι etiamnum*? quid *„dicatur“* eo loco quo *dicas* expertes cum respectu ad chorum, quem alloquitur et de cujus judicio solo agitur. Praeterea *δέ* in tali dictione postpositum dictionis efficaciae nocet. Quis trium dipodiarum quae exciderunt sensus fuerit aliquo modo concludi potest ex iis quae in praecedenti duplici stropha ab Hemichoriis cantata fuerunt, quorum alterum rem factam ad Jovis consilia referebat v. 1464 *ἰὼ ἰὴ διαὶ Διὸς Παναιτίου, πανεργέτα,* alterum vero solam Clytaemnestrae culpam persequebatur v. 1471 *κεῖσαι δ' ἀράχνης ἐν ὑφάσματι τῷδ'*. His igitur, quae facinus ad Jovem et Clytaemnestram ita referunt, ut utriusque in eo partes appareant, cum respondeat regina ita, ut de se sola agat, manifestum est, alterum quoque caput de Jovis *παναιτίου* consilio non potuisse ab ea praeteriri. Itaque suppleam

αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὔργον ἐμόν
Καὶ Διὸς αἶσαν συντελέσασαν·
Μὴ τάδ' ἐπεύχου μηδ' ἐπιλεχθῇς
'Αγαμεμνοίαν εἶναι μ' ἄλοχον.

Jam *μηδέ* post *μή* concinue additur et recte se habet *ἐπιλέγεσθαι*. Id enim et forma extensiva *ἐπιλογίζεσθαι* fere eodem redeunt. *'Επιλέγεσθαι* enim est legendo aliquid cognoscere *ἀναγιγνώσκειν*, Herod. I, 124 *λαβὼν δὲ τὸ βιβλίον ἐπελέγετο.* Hinc *secum reputare* ib. I, 78 *ταῦτα ἐπιλεγομένου Κροίσου* VII, 147 *πᾶν ἐπιλεγόμενος πείσεσθαι χρῆμα* et cum prohibendi notione ib. VII, 149. Nec offendi debuisset G. H. quod in media verbi *ἐπιλέγεσθαι* significatione aoristus passiva forma *ἐπιλεχθῇς* adhibetur. Id enim non in aoristis solis, sed in perfectis quoque fieri solet, quin verba media inveniuntur quae nullam perfecti

aut aoristi formam nisi passivam admittunt, ut *ἀπαλλάττομαι ἀπήλλαγμαι ἀπηλλάχθην*, et quod ad nostum locum proprius accedit *διαλέγεσθαι διελέχθην* pro *διελέξατο* quo Hom. utitur. Adde si tanti est Pind. Pyth. I, 52 *ἐστρατεύθη* pro *ἐστρατεύσατο*. Sensus igitur *neque tecum cogites (denke nicht dabei)*.

Post luctuosam de Agamemnonis sepultura querelam chori v. 1527 seqq. *τίς δ' ἐπιτύμβιος αἶνος ἐπ' ἀνδρὶ θείῳ* quam supra emendavimus, acerbissima sequitur Clytaemnestrae de eadem oratio v. 1530 *οὔ σε προσήκει τὸ μέλημα λέγειν τοῦτο* cum quatuor dipodiarum anapesticarum defectu, quem antistropha v. 1548 seqq. *ἐς τόνδ' ἐπέβης σὺν ἀληθείᾳ κ. τ. λ.* aperuit.

V. 1530 habet *οὔ σε προσήκει τὸ μέλημα λέγειν* ubi exspectes *μέλειν* quod Auratus et Stanlej. proposuerunt noto graecismo; nec tamen quidquam novandum, cum *λέγειν* ad ea ipsa quae dixerat chorus referri possit. *Non tuum est, de hac cura loqui, quae scilicet ad nos pertinet — πρὸς ἡμῶν κάππεσε, κάτθανε.* Mireris Porsoni judicium qui Advers. p. 139 haec notat: „Dele *κάππεσε, κάτθανε* et subaudi *ἐστι*", eoque flore suo locum privat. Accedit quod neque *τὸ μέλημα* carere potest demonstrativo *τοῦτο*, et quod elocutionis concinnitate et elegantia sublata locus aperitur dictioni vulgatae et nequaquam lyricae: *τοῦτο πρὸς ἡμῶν ἐστι*, ne commemorem hac ruina dimidiam sententiae partem absumi, quae verbis *καὶ καταθάψομεν* terminatur. Sensus: *nos, qui eum projectum interfecimus sepeliemus* sc. *αὐτόν*. — v. 1531 *τῶν ἐξ οἴκων* Auratus in *ἐξοίκων* conjunxit. Sed lubrica hic omnis mutatio, quia in hoc ipso loco omnium editorum, qui metrorum aequalitatem curant consensu lacuna duorum versuum incipit, quam comparatio cum antistrophicis v. 1548 seqq. aperuit. Quo argumento hi fuerint partim locus Choeph. v. 423 seqq. docet, qui de Agamemnonis sepultura agit *ἰὼ δαΐα πάντολμε μῆτερ Δαΐαις ἐν ἐκφοραῖς | Ἄνευ πολιτᾶν ἄνακτ' | ἄνευ δὲ πενθημόνων | Ἔτλης ἀνοίμωκτον ἄνδρα θάψαι* [illegible] ea, ad [illegible] respondet hic Clytaemnestra v. 1522 seqq. [illegible]

ἐπιτύμβιος αἶνος κ. τ. λ. Ad priora illa G. H. „*τῶν ἐξ οἴκων* de domesticis dicta: sequebatur autem, ut conjici potest „*neque alios patiemur comitari funus*". Quodsi vero ad ea respondet quae chorus questus est, non potuit hoc fieri sine aliqua honorum funebrium commemoratione, quos et ipsos interemto denegat. Itaque locum ita fere constituendum putaverim:

οὐχ ὑπὸ κλαυθμῶν ἀποπεμπόμενον
τῶν ἐξ οἴκου μηδὲ πολιτῶν,
λοιβῶν τ' ἀτυχόντ' ἐπιτυμβιδίων.

Praeter has lacunas in his postremis scenis admodum corruptis aliae minori ambitu inveniuntur, quas breviter recensebimus.

v. 1519, 20.

ΧΟΡΕΥΤΗΣ β'
Τοὔργον εἴργασται δοκεῖ μοι βασιλέως οἰμώγμασιν
ΧΟΡΕΥΤΗΣ Γ
Ἀλλὰ κοινωσαίμεθ' ἄν πως ἀσφαλῆ βουλεύματα.

Huic scenae parti systema antitheticum quinque versuum trochaicorum tetrametrorum inest, quorum duo priores strophae, duo sequentes antistrophae, quintus epodo respondent. Sed hiat sententiarum nexus in postremis duobus. Nam si caedes confecta in priore statuitur, non amplius tempus deliberandi datur. Accedit, quod prior versus ita constitutus est, ut in sequenti oratio per *ἀλλά* continuari non possit, quo indicatur periculum quidem summum esse, sed deliberationem non prorsus exclusam, quae deinceps re vera instituitur. Itaque statuendum excidisse versum hoc fere sensu: *οὐ διχορρόπως τὸ δεινὸν τοῦτ' ἐπισκήπτει πόλει*, ut sequens annecti possit· *Ἀλλὰ κοινωσαίμεθ' ἄν πως ἀσφαλῆ βουλεύματα*, quo admisso numerus epodicorum versuum strophicis et antistrophicis aequatur. Nexus est: Non sane dubium, quin hoc malum si non perfectum est, urbi immineat. Sed videndum, num de eo aver-

tendo consilium certum aliquo modo iniri possit. Jam recte quartus Choreuta sententiam de irrumpendo in aedes subjungere potest —

V. 1372, 3.

Θαυμάζομέν σου γλῶσσαν, ὡς θρασύστομος
Ἥτις τοιόνδ' ἐπ' ἀνδρὶ κομπάζεις λόγον.

His versibus non respondent ea, quae subjungit Clytaemnestra. Nihil enim notant nisi audacis linguae post tale facinus jactantiam, contra reginae verba aperto indicant, chorum ipsi poenas ingruentes miratum esse tanquam mulieri quae imprudens et ad propellendum hostem non praeparata egerit. *Πειρᾶσθέ μου γυναικὸς ὡς ἀφράσμονος.* Hic igitur sententiarum hiatus expleri poterit, additis duobus versibus fere his:

οἴει δ' ἀνόσιον ἔργον ἐξειργασμένη
ἔξω βαρείας αἰτίας ἔχειν πόδα.

V. 1415, 4.

κεῖται γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος
Χρυσηΐδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ.

Lacunam hic detexit G. Hermanni sagacitas. Is graviter interpretum socordiam increpat, quorum nullus hic obhaeserit. „Adeo, inquiens, in verbis occupati, quid res, quid recta ratio, quid poesis flagitet, negligere consuerunt"; offensio sane inest in eo, quod post *κεῖται* et gravissimum hoc initium Agamemnonem non nisi adjectivo nomine, non substantivo notat, quod scribendo *λυμαντὴρ ὅδε*, vel *λυμαντὴρ νεκρός* facere poeta potuisset. Nullam tamen in hoc versu vitii suspicionem esse. Itaque certissimum putat, versum excidisse et confisus indicio suo, recto sane et sincero pergit: „Ac vel hebetior aliquis, opinor, sentiet, quantum ab librorum illa debili atque imperfecta oratione distet plene enunciata sententia, ut si ejusmodi versum potuit saltem facere Aeschylus adjicias:

κεῖται γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος
ἀνὴρ θυγατρὸς τῆς ἐμῆς φονεὺς ὅδε
Χρυσηΐδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ.

Sed de Iphigeniae nece jam antea et multo gravius actum est et jejuna est simplex rei crudelissimae hic repetitio *θυγατρὸς τῆς ἐμῆς φονεὺς ὅδε*. Obstat porro scenae qui requiritur progressus. Nam post ea quae de caede Iphigeniae, tanquam de caussa primaria facinoris sui primo loco peregit oratione gravissima, inde v. 1385, ad reliquam argumenti partem veniendum erat, nempe ad adulteros conjugis amores, quibus exasperata fuit, interposito Aegisthi praesidio, ut simul via aperiretur ad ipsum introducendum, ut fit finita reginae cum choro altercatione.

Itaque versum praemiserim cum respectu ad paternas Aegisthi et conjugales sui ipsius injurias ulciscendas compositum:

Τούτῳ δὲ κἀμοὶ κατθανὼν ἀνὴρ ὅδε
Κεῖται γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος.

In Aegisthi narratione, quae inde a. versu 1559 sequitur de dapibus Thyesteis nuper in Ephemeridibus nostris majorem lacunam post v. 1576 octo fere versuum demonstravi et explere utcunque ausus sum; minor deprehenditur in oratione chori, qua Aegistho is respondet:

Αἴγισθ' ὑβρίζειν ἐν κακοῖσιν οὐ σέβω·
Σὺ δ' ἄνδρα τόνδ' ἔφης ἑκὼν κατακτανεῖν κ. τ. λ.

Ita MSS. Incongruum est istud „*Tu vero dicebas*“ et nexus deest. Hunc ut aliquo modo sarcirent plerique Pauwii conjecturam *τόνδε φῂς* sequuti sunt. Solus G. H. perspexit lacunam unius versus esse, eamque non solum orationis hiatu, sed antithetica quoque ratione demonstrari, qua hoc colloquium compositum est. Lacunam post tertium chori versum statuit et ita supplet:

Σὺ δ' ἄνδρα τόνδε φῂς ἑκὼν κατακτανεῖν
Μόνος δ' ἔποικτον τόνδε βουλεῦσαι φόνον;
Τοίγαρ στυγηθεὶς δυςθέοις τολμήμασιν
οὔ φημ' ἀλόξειν ἐν δίκῃ τὸ σὸν κάρα
δημοῤῥιφεῖς, σάφ' ἴσθι, λευσίμους ἀράς.

Ad structuram confert Choeph. v. 882 *φιλεῖς τὸν ἄνδρον; τοίγαρ ἐν ταὐτῷ τάφῳ Κείσει.* Versus bonus et fere Aeschyleus, sed infert loco structurae *μετάβασιν*, admodum duram, qua pro *οὐκ ἀλύξεις* sequitur *οὔ φημ' ἀλύξειν.* Itaque lacunae situm statuo in corruptela *σὺ δ' ἄνδρα τόνδ' ἔφης* esse, hoc fere modo explendae:

Σὺ δ' εἰ δόλοισιν ἐνταθεὶς ἀτηρίοις
Τὸν ἄνδρα τόνδε φῂς ἑκὼν κατακτανεῖν,
Μόνος δ' ἔποικτον τόνδε βουλεῦσαι φόνον,
οὔ φημ' ἀλύξειν κ. τ. λ.

Nam de dolis suis et machinationibus gloriatus fuit v. 1590, ubi tamen scribendum *πᾶσαν συνάψας μηχανὴν εὐβουλίας* pro *δυςβουλίας.* Non enim mala, sed sapientia sua consilia sicarius praedicare debuit.

V. 1614 seqq.

Τὸ γὰρ δολῶσαι πρὸς γυναικὸς ἦν σαφῶς.
'Εγὼ δ' ὕποπτος ἐχθρὸς ἦ παλαιγενής
'Εκ τῶνδε· τοῦδε χρημάτων πειράσομαι
῎Αρχειν πολιτῶν.

Turbas secundi et tertii versus e Codd. in Victorianam ed. translatas removere studuit Porsonus *ἢ* et mox *ἐκ τῶν δὲ τοῦδε* scribendo. G. Herm. monet, nimis abruptam esse Agamemnonis mentionem, quibus sic demum recte se fretum dicere poterit Aegisthus, si eas nunc suas esse significasset. Huc accedit, quod antithetica versuum ratio docet, unum excidisse. Itaque G. H. [illegible] fere modo haec cohaesisse:

ὥς τ' ηὐλαβεῖτ' ἄν· νῦν δ' ἐγὼ κρατῶν δόμων
'Εκ τῶνδε τοῦδε κ. τ. λ.

Istud ὥς τ' ηὐλαβεῖτ' ἄν non intelligo, et si voluit ὥς τ' εὐλαβοῖτ' ἄν', incongrua est ad cautionem exhortatio, inprimis circumspecta hac dictione inclusa. Hanc igitur prorsus removendam judico, et si divinare licet,

Καὶ νῦν κρατύνων σκῆπτρα καὶ θρόνους πατρός
'Εκ τῶνδε τοῦδε χρημάτων κ. τ. λ.

'Εκ τῶνδε non est *subinde*, sed sceptri et throni auctoritate subnixum.

Finem tragoediae inde ab initio tetrametrorum initio v. 1680 quatuor lacunis hiare quae singulis versibus suppleri possint nuper in Ephemeridibus nostris monui additique post vers. 1633 ἀλλ' ἐπεὶ κ. τ. λ.

Γνώσομαι γὰρ ἄνδρα δειλὸν μηδὲν ἐν μάχῃ σθένειν.

Post 1638 Δεχομένοις λέγεις κ. τ. λ.

Αἴγ. τὴν τύχην σέβου, μόρον δὲ χειρὸς ἐξ ἐμῆς δέχου.

Post 1648 κακβαλεῖν . . . . ἔπη

Ταῦτα πῶς ἀνεκτ' ἂν εἴη καὶ πρὸς ἀνδρῶν δημοτῶν;

Versu autem praecedente σώφρονος γνώμης qui et ipse lacunosus est ad finem orationis Clytaemnestrae translato et suppleto, hi ita sese excipient:

ὧδ' ἔχει λόγος γυναικός, εἴ τις ἀξιοῖ μαθεῖν,
Σώφρονος γνώμης δ' ἁμαρτεῖν τὸν κρατοῦντ' οὐ σύμφορον.

In εἴ τις Aegisthum intelligit et modeste monet, cui admonitioni cedit Aegisthus et moderatius jam respondet v. 1647 ἀλλὰ τούσδε μοι ματαίαν γλῶσσαν ὧδ' ἀπανθίσαι κ. τ. λ. — Duobus versibus postremis tragoedia eadem, quam toties notavimus textus deveslatio ultimas voces ademerat, quos ἐγὼ et καλῶς addendo e Scholiis integros jam Canterus poetae reddidit, sed adjungendus erat versus, ne tragoedia ante periodi exitum finem inveniret, fere hic: πάνθ' ὅσοισι δεῖ κατ' αὐτὰ σωφρόνων βουλευμάτων.